FRIDERICI MÜNTERI,

EPISCOPI SELANDIAE ET ORDINUM REGIORUM EQUESTRIUM,

PRIMORDIA ECCLESIAE AFRICANAE.

HAFNIÆ MDCCCXXIX.

PROSTANT IN LIBRARIA *SCHUBOTHIANA.*

EXCUDEBAT *FABRICIUS DE TENGNAGEL.*

VENERABILI

THEOLOGORUM HAFNIENSIUM

ORDINI

D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum venerabilis Theologorum Hafniensium ordo anno MDCCCXVII quæstionem hanc proposuerit:

Investigatis Ecclesiæ Africanæ originibus, enarrentur incrementa ejusdem usque ad finem seculi secundi;

concertatione civium academicorum illustrandam, verum nemo e commilitonibus nostris hancce amplexus fuerit occasionem de historia priscæ ecclesiæ tot adhuc tenebris pressa bene merendi; me, licet multis iisque gravissimis negotiis distractum, impulit animus, ut ipse opus adgrederer, periculum facturus, si quid in tanta rerum obscuritate, inopia, atque, quæ inde necessario oriunda erat, difficultate, post Schelstratium et Leidekkerum, qui tamen in antiquissimis Christianorum Afrorum rebus enarrandis justo breviores fuisse videbantur, tum notitias in scriptoribus sparsas colligendo, tum ex collectis atque ex analogia aliarum prisci illius temporis rerum conjiciendo, in multis certum, in aliis verosimile aliquid erui atque in clariore luce poni possit.

Hocce vero opus tanto magis mearum esse partium ratus sum, quum brevi antea in religione Carthaginiensium Poenorum examinanda versatus fuissem, neque cultum Carthaginiensium Romanorum, cum prisca illa haud uno tantum nomine conjunctum, neglexissem. Itaque limites utriusque religionis, Ethnicorum et Christianorum, attigi, certamen utriusque de victoria, quæ huic denique divino beneficio cessit, quantum post tot seculorum decursum fieri potuit, observavi, atque scriptores Afros, Tertullianum maxime et Cyprianum, nec non Augustinum aliosque paucos perpetuos habui duces. Inde autem majus adhuc ortum est incitamentum ad tentandam PRIMORDIORVM ECCLESIAE AFRICANAE a Theologis Hafniensibus desideratam adumbrationem; quam quidem incertis, quod candide fateor, haud raro lineis, obscuris sæpe vestigiis insistens, conjecturisque interdum indulgens, in hisce quæ sequuntur paginis duxi. Quæ si haud plane viris doctis displiceant et

lucis tantillum Africanis istis tenebris adfudisse judicentur, impense lætabor. Hoc denique moneo, me terminum quem venerabilis Theologorum nostratium Ordo fixerat transiisse, et in Episcopatu Cypriani quem adiit anno CCLII, substitisse. A Cypriano vero inde Historia Ecclesiæ Africanæ uberiores quam antea habet fontes, minoribusque laborat obscuritatibus.

Auctores antiquiores quibus usus sum jam ex parte indicavi. Accesserunt vero recentiores haud ita pauci, in quibus inprimis magna cum laude recensendi sunt triumviri *Stephanus Antonius Morcellus*, Societatis Jesu Presbyter, *Augustus Neander*, Theologus Berolinensis, et *Johannes Kaye*, Episcopus Bristolensis, nunc ad sedem Lincolnensem translatus. Quorum prior jam per quadraginta et amplius annos in Italia celebris, (edidit enim anno MDCCLXXX Romæ librum bonæ frugis plenum de stilo Inscriptionum latinarum), *Africam Christianam* scripsit, post ejus mortem Brixiæ MDCCCXVI tribus voluminibus in forma quarta in lucem emissam. Horum quidem voluminum primum geographiam sacram Africæ summo studio digestam exhibet, alterum et tertium annales Ecclesiæ Africanæ sub Episcopis Carthaginiensibus ordine chronologico ex testimoniis scriptorum, ubi vero hæc deerant, ex conjectura recensent. Neandri *Antignosticus, Geist des Tertullianus und Einleitung in dessen Schriften*, Berolini MDCCCXXV, omnium theologorum in manibus versatur, magnosque mihi usus præstitit. Neque minori cum fructu legi Episcopi Lincolnensis *Historiam Ecclesiasticam seculi secundi et tertii ex Tertulliano illustratam*, Anglico sermone secunda vice Cantabrigiæ MDCCCXXVI in forma 8va editam. Librum vero, qui plenus esse dicitur disquisitionum eruditarum, *Petri Antonii Sanchez*, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Sancti Jacobi Compostellani, *Historiam Ecclesiæ Africanæ*, Matriti MDCCLXXXIV typis excusum, videre meosque in usus convertere nunquam contigit.

Itaque vale, Lector erudite, meisque de republica sacra et literaria bene merendi conatibus favere perge.

Scripsi Hafniæ d. XIV Octobris MDCCCXXVIII.

CONSPECTUS CAPITUM.

APPENDIX.

CAP. I.

AMBITUS ET LIMITES ECCLESIÆ AFRICANÆ.

1. Ecclesiam Africanam, quæ pars erat Ecclesiæ Occidentalis, Patriarchæ Alexandrino, ad cujus Provinciam Libya[1] et Cyrenaica pertinebant, nunquam obsequium præstitisse, inter omnes Historiæ Ecclesiasticæ peritos constat. Ejus vero limites a Cyrenaica porrigebantur ab ortu usque ad fretum Gaditanum Oceanumque Atlanticum: a septentrione mari mediteraneo adluebantur, a meridie denique Atlantis et reliquorum montium jugis, quibus ipsum imperium Romanum a Gætulorum aliorumque populorum, qui Libyam interiorem habitabant, finibus desertisque arenosis discriminabatur, contermini erant[2]. Qui quidem latissimi terrarum tractus, si Europæis componendi sint, Germaniam superabunt, utpote qui circiter 16000 milliaria quadrata comprehendunt; ab immenso populo habitati erant, florentissimisque urbibus pleni, inter quas eminuit Carthago, *alterum*, ut Solinus dicit, *post urbem Romam terrarum decus*[3]. Longitudo a Cyrenaica ad Oceanum per 300 et amplius milliaria geographica protendebatur, latitudo diversa erat inter 10 usque ad 15, et 40 usque ad 50 milliaria geographica. De incolarum, Romanorum, Poenorum, Nomadumque Africæ indigenarum, qui Berberorum, quos hodieque alunt Africæ pascua, majores procul dubio fuerunt, multitudine nil certi constat. Sed magnus urbium vicorumque, quibus repleta fuit Africa, numerus suadet credere, immensum et hunc fuisse.

---

[1] Canon 6. Concilii Nicæni: *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥςε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν.*

[2] Spanhemii Geographia sacra, p. 221.

[3] Cap. 30. *Nunc populi Romani colonia, iterum opulenta.* Mela. I. 7.

2. Hæc vero *Africa* in tres dividebatur *Provincias*. Prima, *Africa Proconsularis* dicta, initio complectebatur Syrticam, Tripolitanam[4] Byzacenam et Zeugitanam. A Proconsule quem Senatus misit regebatur per triennium, interdum, v. c. a Gordiano, per quinquennium, interdum duobus saltem annis. De *Numidia*, quæ olim Massinissæ paruerat, incertum, utrum semper proprium habuerit Proconsulem vel Prætorem aut Præsidem; quod quidem initio accidit, quum C. Julius Cæsar ibi C. Crispum Sallustium cum imperio reliquisset; an postea provinciæ Proconsularis pars veluti habita fuerit. Habemus tamen sub Antonino Pio Tuscium Fuscianum *Numidiæ Legatum*[5], et sub Commodo, aut potius Severo, ut marmor Veliternum docet, Sextum Varium Marcellum, *Præsidem Numidiæ*[6]; unde probabile fit, post Hadrianum saltim, nisi prius et ab initio, Nnmidiam a Proconsulari Africa fuisse separatam. Tertia provincia evat *Mauretania*, post necem Ptolemæi Regis, a Cajo sublati, in duas provincias divisa, Tingitanam, cui adjecta erat Numidia Syphacis, et Cæsareensem, ab Equitibus Romanis *Procuratorum* nomine Cæsaris sub auspiciis regendas[7]. Interdum tamen utraque uni administranda committebatur[8]. Nova vero Africæ in sex provincias distributio, quum temporibus Constantini facta videatur, antiquiorem Ecclesiæ Africanæ ætatem haud tangit. Postea septem numerabantur Provinciæ. Hoc tantum monendum, Ecclesiasticam Africæ divisionem haud ubique sequutam esse Civilem. Tingitana enim Provinciæ Carthaginiensi semper adnumerata est[9].

---

[4] Ex actis Concilii Carthaginiensis a Cypriano celebrati, cui interfuerunt Episcopi hujus provinciæ, patet, eam Africæ proconsulari adnumeratam fuisse.

[5] In Digesto Tit. V. De Legatis præstandis. ubi Constitutio Antonin Pii.

[6] De utroque cf. Morcellum I. p. 22. quem in hac provinciarum enumeratione secutus sum.

[7] Plinii Hist. Nat. V. 1. Taciti Hist. I. 11.

[8] Exemplum adfert Tacitus Hist. II. 58.

[9] Pauli, Bobbæ v. Obbæ, ad Tingitanam provinciam pertinentis, Episcopi nomen legimus in Concilio Cypriani a. 255 habito. cf. quoque Ziegleri, amici desideratissimi, Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den sechs ersten Jahrhunderten der Kirche (Lips. 1798) p. 99.

CAP. II.

BREVIS CONSPECTUS RELIGIONIS ETHNICÆ QUALIS IN AFRICA COLEBATUR.

1. Vetus Carthaginiensium religio, e Phoenicio astrorum cultu oriunda, ex quo Romani post hancce Africæ metropolin excisam, colonia deducta, novam in eodem fere situ urbem condiderant, novam quidem faciem induit; manserunt vero eadem mutatis tantummodo nominibus numina. Nam *Baalum* vel *Toladum*[1] הלד, *Saturni* sub nomine Romani æque ac veteres Carthaginienses prisco fere ritu coluerunt. Seculo enim adhuc tertio humanarum hostiarum occurrunt indicia apud Tertullianum Apologetici c. 9. et Porphyrium de abstinentia II. c. 27. Astarte autem, Carthaginiensibus *Tolatha* הלת[2], in Romana Carthagine *Dea Coelestis* dicta, novum idque splendidissimum habuit templum, oraculis illustre, nec nisi exeunte sec. IV vel ineunte V destructum. Ejus cultum indicant numi, Severo filiisque imperantibus cusi, INDULG. AVGG. IN CARTH. inscripti, in quibus fulmine et sceptro vel fulmine tympanoque instructa et coelesti leone vecta pingitur. Celebritatem vero per totum orbem Romanum tot inscriptiones, jus legata capiendi, ipsæque inter eam et Elagabalum Syriacum Solis Deum nuptiæ a vesano illo Antonino Elagabalo Imperatore conciliatæ abunde commonstrant. Unde facile patebit, Romanos Carthaginienses æque ac Punicos duos magnos *Cabiros, Deos Potes,* sub Saturni et Deæ Coelestis appellatione coluisse. Cum *Melcartho* Tyrio, Carthaginiensium *Θεῷ πατρῴῳ*, in unum numen coaluit Hercules Libycus, cujus religio certe ad Constantini usque tempora, Carthagine et per Africæ urbes, in Italia, Hispania atque Gallia floruit. Immensæ ejus per omnem Occidentem erant divitiæ; decimæ ei solvebantur[3], idemque ei quod Astartæ ex beneficio sine dubio Severi aut Caracallæ competebat jus, quod hæres institui

---

1 Vide Inscriptiones Punicas Lugdunenses a Celeb. Hamakero (Diatribe Philologico-Critica de monumentis aliquot Punicis. Lugdun. Bat. 1822. p. 1. 8.) feliciter explicatas, in quibus Carthaginiensis ille Baal הלד vocatur. cf. p. 16.

2 הלת. In Insc. Lugd. 1. et 2.

3 Decimas Herculi Carthaginiensi solutas commemorat Inscriptio sequens in

posset. Tribus hisce numinibus adjungimus *Aesculapium*, veterum Carthaginiensium *Esmunum*, deum salutaris artis præsidem, ex cujus templi, in Byrsa Carthaginis arce exstructi atque in incendio hujus metropoleos deleti, ruderibus novæ splendissimæque instructæ fuerunt ædes, curationibus morborum famigeratæ et conventibus atque colloquiis philosophorum frequentatæ. Neque unice Carthagine, sed Oeæ quoque in Tripolitana Provincia, ut perhibet Apulejus; Lambesæ, ut vetus docet Inscriptio, nec non Babbæ Mauretaniæ; id quod ex numo patet. Hisce vero diis sociata fuisse cætera Bomanorum, inprimis majora, numina, non est de quo dubitemus. *Apollinis* templum stetit Uticæ. *Cereris et Proserpinæ* sacra Carthagine peragebantur; *Genium Carthaginis* coluerunt Romani; et quis dubitabit, quin a Romanis colonis domestica fere omnia numina propriique Penates in Punicam Carthaginem delati fuerint? Et peregrinos quoque Deos, ut Magnam Deam[4], Isin et Ammonem[5], Serapin et Mithram, Carthagine cultos fuisse, loci sunt in Tertulliano atque Apulejo, qui indicent.

2. Cultum publicum a pristina sua sævitia haud degenerasse, vel ex uno illo evincitur, quod in Africa quoque Romana ad aras Saturni hostiæ humanæ mactabantur. De hominibus Herculi immolatis nil constat; Tyrio quidem humano sanguine fuisse litatum, veteres scriptores perhibent; an vero Libyco-

---

lamina ænea: GN. FLACCVS Q. FVL. F. DECVMAM PARTEM HERCULI ET PRO REDITV FELICISSIMO EX AFRICA VIRI FRATRIS ET PRO SAL. PETINÆ MATRIS SIGNA AVREA FORTVNÆ PRÆN. ET FERONIÆ SANCTISSIMÆ D. D. T. VINIO COS. qui Vinius Consul fuit cum Serg. Galba a. u. c. 822. Fea Miscellanea Filologica Critica Antiquaria Tomo I. Romæ 1790. p. CXXII.

4 *Vidistis Dindymarios, quali fragore*
Luxurias ineunt, dum furias fingere quærunt,
Aut cum dorsa sua allidunt sparca bipenne;
Cum doctrina sua servant, quod cruore sanant. &c.
Commodiani Instruct. XVII.

5 Ammonem, celebratissimum Afrorum numen, jam in Punica Carthagine cultum, Oraculumque ejus consultum fuisse, probabile est. v. librum nostrum de religione Carthaginiensium p. 121. Apud Commodianum Instruct. XVIII. legitur Ammudates, qui forte idem est, qui habuit Oraculum: *tot viros et magnos seducit false prophetans.* Sed valde obscura sunt hæc.

Romano, dubium est. Sed et morum impuritas atque lascivia ad Vtum usque seculum mansit. Tametsi enim casta erat Cereris religio et castitati intemeratæ servandæ adstrictæ tenebantur matronæ quæ ista sacra peragebant, lascivum nihilo secius cultum cum religione Astartes ex Syria Phoeniciaque per omnes Phoenicum colonias propagatum servavit Africa Romana. De *Vesta enim meretricum, cui etiam Phoenices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris, deque turpissimis ludis, qui virgini Coelesti exhibebantur,* testimonia habemus Augustini de Civ. Dei IV. c. 10. et II. c. 3. Obscoena prætera carmina die solemni lavationis ac lectisternii hujus deæ, una cum ludis in ejus honorem celebratis, eodem capite tertio magna cum indignatione idem Episcopus Hipponensis, oculatus testis, refert.

3. Haud minorem vero rure quam in urbibus fuisse superstitionem, non est quod multis dicamus. Rure enim una cum lingua veteri Poenorum diu perseveravit eorundem religio atque cultus. Habebat rus Augustini ætate arbores sacras[6] et ubique locorum fana, lucos, sacerdotes, festa, lustrationes, et quæ sunt generis ejusdem. Romani autem superstitiones plebeculæ in provinciis parum curabant, si modo legibus magistratibusque debitum præstaretur obsequium. Propria præterea Numidiæ atque Mauretaniæ fuisse numina, Romanis æque ac Poenis ignota, in quibus inprimis referendi sunt harum provinciarum veteres reges post mortem consecrati[7], in dubium revocari nequit. Per universam præterea Africam invaluisse artes divinatorias, quibus plena fuit, præter alios ex Apulejo constat. Oracula non in urbibus tantum, quomodo Carthagine, frequentata, sed *Bætyliorum,* lapidum unctorum[8], quoque cultus, de quibus Servius ad Aeneid. VI. v. 68. in ipsa Carthagine floruit; et quum hæc *signa, simulacra,* ut ait, *brevia,*

---

6 Sermo de tempore 241.

7 Testimonia leguntur apud Patres. *Unicuique etiam provinciæ et civitati suus Deus est, ... ut Mauretaniæ reguli sui.* Tertull. Apol. c. 24. *Juba Mauris volentibus Deus est.* Minuc. Felix, ed. Ouzelii p. 214. *Mauri manifeste reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt:* Cyprian. de Idolorum vanitate p. 12. ed. Joh. Felli Oxon. 1682. *Hac scilicet ratione Romani Cæsares consecraverunt, et Mauri reges suos.* Lactant I. c. 15. De Juba eod. capite.

8 Apuleji Apologia, in operibus, ed. Elmenhorstii p. 310.

in lecticis portarentur, ea non in urbibus tantum, verum etiam rure a sacerdotibus lucri cupidis circumlata fuisse facile intelligitur. Diu vero in toto hoc tractu omnis generis artes divinatoriæ atque magicæ permanserunt; quas quarto adhuc seculo exeunte haud in oblivionem abiisse, testatur canon 89 Concilii IV. Carthaginiensis anno 398 celebrati: *de his qui auguriis vel incantationibus vel Judaicis superstitionibus serviunt.*

Hæcce autem omnia brevibus indicata potius quam exposita sunto. Lectores, si qui plura cupiunt, ablegatos velim ad librum quem Theotisce anno 1822 de religione Carthaginiensium edidi, in quo non veterum tantum Poenorum sed colonorum quoque Romanorum superstitiones, quantum per penuriam fontium licuit, recensui. Jam vero, relicta Africa ethnica, ad Ecclesiæ Christianæ in ea conditæ initia investiganda animum advertamus.

CAP. III.

ECCLESIA AFRICANA NON FUIT APOSTOLICA.

1. Seculo post Christum natum primo, quo ipsi Apostoli ecclesiam rexerunt, semina religionis Christianæ in Africa sparsa jam fuisse, nihil est quod innuat. Lego quidem Metaphrastam tradere[1], Petrum Apostolum post Romanam Ecclesiam ordinatam, cæterasque complures in diversis locis conditas, Carthaginem tandem venisse; qui vero, ipso Baronio judice, cum multa admisceat commenta, nullam prorsus in his meretur fidem[2]. Neque majori fide dignus videtur Pseudo-Dorotheus, licet pluribus seculis antiquior, in synopsi de vita Apostolorum et Prophetarum, qui veterem de provinciis orbis terrarum inter Apostolos per sortem divisis[3] fabulam secutus, Africam Simoni Zelotæ evenisse scribit[4]; quod quoque habet

---

1 ad 29 Jun.

2 Annal. ad ann. Chr. 44. §. 39.

3 De hac per sortem divisione vide quæ nuper scripsit doctiss. Thilo in actis S. Thomæ Apostoli (Lips. 1823) p. 87.

4 Vixisse dicitur hic Dorotheus, Tyri Episcopus, omnibus ignotus, exeunte tertio et ineunte quarto seculo, usque ad Juliani Imp. tempora, sub quo Martyrium subiisse narratur. Sed opus illi

Nicephorus Callistus[5]: quippe qui Marcum Evangelistam, quem primum Evangelii in Aegypto præconem sedisque Alexandrinæ conditorem haud improbabilis veterum traditio apud Eusebium H. E. II. c. 16. refert, ipso Tiberii tempore totam Aegyptum, Libyam, Cyrenen, omnemque Barbariam percurrisse tradit[6]. Quæ quidem sunt valde incerta, et inter fabulas potius rejicienda. Fortassis omnis illa de Simone Afrorum Apostolo narratio enata est ex loco Matth. XXVII. 32. ubi de Simone Cyrenæo mentio injicitur, quem ad Christi crucem tollendam milites Romani adegerunt, serius cum Simone Cleophæ filio confuso[7]; hunc enim, quum e Cyrenaica oriundus esset, nonnulli Christum in regionibus conterminis prædicasse statuerunt. Neque constans ubique de Simone Afrorum Apostolo traditio; alii enim Persiam illi annunciandi Evangelii provinciam adsignant[8].

2. Hæc autem omnia Eusebii ætate ignota erant. Hic enim, diligentissimus antiquitatis Christianæ investigator, Histor. Eccles. III. c. 1. de itineribus Simonis apostolicis nihil habet[9]: et, si unquam in Africa fuisset,

---

attributum spurium est, seculo VI. scriptum. Quæ de Apostolis tradit, edidit Caveus in Historia litteraria Scriptor. Ecclesiasticor. I. p. 169.

5 Ἐπὶ δὲ Τιβερίου Καίσαρος τῇ Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, ἔτι δὲ καὶ τῇ Βαρβαρικῇ πάσῃ τὸν Χριστοῦ λόγον εὐαγγελισάμενος, καὶ ἐπαγορεύοντος Πέτρου τὸ κατ᾽ αὐτὸν Εὐαγγέλιον συγγραψάμενος, ἐν Κυρήνῃ τε καὶ Πενταπόλει πολλὰ καὶ ἄπειρα ἐργασάμενος, καὶ ἐκκλησίας ἀνοικοδομήσας.

6 ibid. c. 43.

7 v. c. Sophronius apud Hieron. de script. ecclesiast. in Simone. Isidorus de vita et obitu S. S. utriusque Testamenti c. 83. Pseudo-Hippolytus Thebanus de duodecim Apostolis apud Combefis. auctuar. P. P. II. p. 831. Hi Hierosolymorum eum faciunt Episcopum. cf. Cavei antiqq. Apostol. ed. Theotisc. p. 594.

8 Sic Abdias in historia certaminis Apostolici, Lib. VI. Venant. Fortunat. carm. I. VII. c. 4. Beda retractat. in Act. c. 1. v. 13. Neque Paulinus Nolanus Simonem agnoscere videtur Africæ Apostolum; verum potius Lebbæum, cujus reliquias ibidem servari asserit. De S. Felice natal. carm. XI. Lebbæum Libyes, Phryges accepere Philippum (ed Paris. 1685. Poëm. p. 169.) cf. Tillemont Mémoires pour servir à l'histoire de l'église des six prémiers siècles Tom. I. p. 170. ed. Bruxell.

9 Neque memoratur a Greg. Nazianzeno orat. 25. ad Arianos. ed. Paris. Tom. I. p. 438. Ambros. Enarrat. in Psalm.

aut alius Apostolus semina doctrinæ Christianæ in hoc terrarum tractu sparsisset, Tertullianus, qui adeo magnifice de Ecclesiis Apostolicis, tamquam doctrinæ et traditionis Apostolicæ fontibus loquitur, de præsc. c. 21. 32. 36. adv. Marcionem IV. 5. certo certius eandem prærogativum Africæ suæ vindicasset, et ad Episcoporum immediatam ab Apostolis Ecclesiarum conditoribus in ea successionem provocasset. Sed ipse c. 21. *communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa (est)* et c. 32. postulat, *Ecclesias ab Apostolis haud conditas, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicas deputandas esse pro consanguinitate doctrinæ.* Idem hoc indicare videtur libro de virginibus velandis c. 2. ubi de hac consuetudine loquitur: *Per Græciam,* inquit, *et quasdam Barbarias ejus plures ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est et sub hoc coelo* (intellige Africano) *institutum istud alicubi, ne qui gentilitali Græcanicæ aut Barbariæ consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego ecclesias proposui, quas et ipsi Apostoli et Apostolici viri condiderunt, et puto, ante quosdam;* juniores nimirum, quos non nominat. Ex quo loco patere videtur, Tertullianum Africanam Ecclesiam Apostolicis haud adnumerasse. Neque ullum in Cypriano, libertatis Ecclesiæ Africanæ, haud secus ac auctoritatis Episcopalis strenuo assertore, occurrit vestigium illius sententiæ, ab Apostolis eam conditam, primosque per Africam Episcopos a Petro, Paulo, aliove Apostolo ordinatos fuisse; quam quidem certe in controversia cum Romano Episcopo haud reticuisset. Idem hoc patet ex Augustini disputatione cum Donatistis. Quum enim Petilianus: *De nobis dictum est,* (Matth. XIX. 30. XX. 16. Marci X. 31. Luc. XIII. 30.) *erunt primi qui erant novissimi: ad Africam enim postmodum Evangelium venit, et ideo nusquam litterarum scriptum est, Africam credidisse;* neutiquam repugnat Hipponensis Episcopus, sed tantum cavet, ne Donatistæ suam doctrinam, tanquam novissimam, ut purissimam quoque exaltent. Intelligit vero Judæos per *primos;* per *novissimos* autem Gentiles, additque: *etsi non essent Judæi et Gentiles, de quibus hoc dictum intelligerem, nonnullæ etiam Barbaræ nationes post*

XLV. v. 10. 821. Hieronym. Epist. 184. Gregor. M. in Evang. L. I. Homil. XVII. §. 17. Beda in Collectan. opp. Tom. III. p. 485.

Africam crediderunt; unde certum fit, Africam in ordine credendi non esse novissimam. Fallitur igitur Baronius Cardinalis, qui ad ann. Chr. 44. asserit, Augustinum et Salvianum Massiliensem constanter affirmare, Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse. De Augustino jam vidimus et sequenti capite videbimus; quod vero ad Salvianum attinet, provocant ad libri de Providentia cap. 7. ubi tamen non Carthaginem sed Romam dicit *urbem summam et celeberrimam, quam Apostoli instituerant, Christianam urbem et ecclesiasticam.*

CAP. IV.

ECCLESIAM ROMANAM HABUISSE VIDETUR MATREM SECULO I. EXEUNTE VEL II. INEUNTE.

1. Antiquissimum Ecclesiæ Africanæ statum, eo nimirum tempore quo nobis innotescere coepit, examinantibus uberius patebit, eam neutiquam origines suas Ecclesiæ Alexandrinæ debuisse. Haud enim Carthaginem et Alexandriam multa intercessisse videntur commercia; et in Tripolitana provincia, inter utramque media, atque Cyrenaicæ Aegyptoque contermina, vel Cypriani ætate non nisi quinque extitere Episcopatus[1]; in Proconsulari vero Africa, in qua sita erat Carthago, multo plures, ut inferius demonstrabitur. Accedit, Græcum idioma, quo Christiani Aegyptii et Cyrenaici utebantur, in hisce regionibus, in quibus Latinus sermo prævaluit, non nisi advenis e regionibus versus orientem solem sitis et Afris Romanisque cultioribus cognitum fuisse. Opus igitur est, ut primordia Ecclesiæ Africanæ indagaturi in Italiam oculos convertamus. Et in illo sane littore Carthaginem Romanam e cineribus Punicæ illius, colonia a Julio Cæsare deducta, resurgentem habemus, quæ brevi tempore ita effloruit, ut altera Occidentis haberetur metropolis, Proconsulis, et Legati Cæsaris cum

---

[1] Neque plures exeunte seculo IV. v. Acta Concilii anno 397. Carthagine celebrati ap. Fuchs Bibliothek der Kirchenversammlungen des vierten und fünften Jahrhunderts III. p. 90.

imperio militari in Africam missi, sedes, tot commerciis cum Roma, Sicilia atque universa Italia conjunctissima; unde quotannis classis frumentaria per portum Ostiensem Romam devecta, una cum Sicula atque, a Commodi inde tempore, Alexandrina, annonam levavit. Nil proinde a summa veri specie alienum, si Carthaginem a Romana Ecclesia primos Evangelii præcones accepisse statuamus. Fortassis in persecutione Neroniana, quum haud dubie multi Christiani Romani fuga salutem quærerent, et vix locum haberent tutiorem aditu que faciliorem quam Carthaginem [2].

2. Romanam certe Ecclesiæ Africanæ originem complura testimonia adstruere videntur. Hanc enim innuit videtur antiquissimus testis Tertullianus ipse Afer et Carthaginiensis l. de præscriptt. hæreticor. c. 36., notissimis hisce verbis: *percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Thessalónicences. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjiceris, habes Romanam, unde nobis quoque auctoritas præsto est* (addunt nonnulli: *statuta*). De Romana porro Ecclesia: *videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit* [3], (quæ quidem phrasis explicatur c. 20., ubi de *ecclesiarum Apostolicarum communicatione pacis, appellatione fraternitatis et contesseratione* (communicatione) *hospitalitatis* sermo est). Lubens quidem Basnagio contra Baronium disputanti dabo [4], ex hisce verbis haud elici posse luculentum Tertulliani testimonium de Romana Ecclesia fonte Ecclesiæ Africanæ, quia verbum *contesserare* a Tertulliano adhibitum conspirationem tantum doctrinæ et conjunctionem familiariorem indicat, quæ quasi per tesseram, signum hospitale, fiebat: at intimum tamen utriusque

---

2 Hanc Morcelli ingeniosam conjecturam, Africæ Christianæ Vol. I. p. 42. lubens amplector.

3 Sic Editores antiquiores, Semlerus vero habet: *Videamus quid dixerit, quid docuerit. Cum Africanis quoque ecclesiis contestatur.*

4 Exercitationes Baronianæ. p. 520. sequ.

ecclesiæ nexum ista verba declarant. Neque negabo, *auctoritatem* in antecedentibus haud ipsam indicare *originem.* Sed si vel concedamus Basnagio, *auctoritatem* hanc argumentum esse atque regulam judicandi de conspiratione doctrinæ Africanarum ecclesiarum, atque ejusdem doctrinæ consanguinitate [5] cum Romana illa Apostolica, apud quam authentica Pauli Epistola recitabatur: quærere tamen licet, annon Tertullianus verbis allegatis, *unde nobis quoque auctoritas præsto est,* fateatur, majorem Ecclesiæ Africanæ cum Romana quam cum cæteris intercedere nexum? quæ si concedantur, hujus nexus causam vix aliunde quam ex illius origine Romana deducere poteris. Huc quoque faciunt quæ habet Cyprianus ep. 48. ad Cornelium: *Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem et matricem agnoscerent ac tenerent.* Quid vero intelligat per matricem Ecclesiæ Catholicæ, locus Tertulliani de præscr. c. 21. declarabit. *Constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam; id sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit. Sunt autem matrices Ecclesiæ ex quibus, tanquam parentibus, Christi fides ad nos pervenit, ac per orbem universum diffusa:* unde quoque Hierosolymitana Ecclesia Tertulliano adv. Marcion. IV. c. 35. *matrix religionis* audit. In nostro vero loco Cyprianico Romana Ecclesia Ecclesiæ Catholicæ radix et matrix eo sensu minime dicitur, quo hæc loquendi forma a Catholicis accipitur. Nam omnes Ecclesiæ Apostolicæ matrices erant. Neque minus hæc phrasis omnem ecclesiam orthodoxam indicat, quemadmodum de hæreticis Cyprianus dicit ep. 59. *quos constat a nobis ad hæreticos transiisse, ad matricem redeant,* quam quoque matricem habet ep. 71. Sed totus epistolæ tenor docet, eum de Romana Ecclesia loqui, quam alio loco (ep. 59. p. 136.) *principalem* appellat, quum Cornelio scribat de ipsius electione et dissidiis ob eandem obortis; unde valde fit probabile, Ecclesiam Catholicam in hac epistola esse Carthaginiensem provinciam, quam *latius fusam* scribit, quippe quæ *habeat etiam Numidiam et Mauretanias duas sibi cohærentes;*

---

5 Sic legitur Consanguinitas, de præscr. c. 32.

atque hanc una cum Cypriano ejus Antistite Ecclesiam Romanam *radicem et matricem Africæ Christianæ* agnovisse.

3. Obscuritate, fateor, laborant quæ habet Augustinus ep. 162. contra pertinaciam Donatistarum: *Erat etiam* (Carthago) *transmarinis vicina regionibus et fama celeberrima nobilis: unde non mediocris utique auctoritas* (l. auctoritatis) *habeat Episcopum, qui posset non curare multitudinem inimicorum, quum se videret et Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, et cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctam, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas ecclesias alienare conarentur.* Sic quoque epist. 161. ad Honoratum scripta: *Sed ne dicatis, non vocari Ecclesiam nostram Catholicam, sed Macarianam, sicuti eam vos appellatis; nosse debes, quod facillime potes, in illis omnibus partibus, unde istas terras Evangelium Christi perfudit, nec nomen Donati sciri, nec nomen Macarii.* In epistola 178., quæ vero est Altercatio cum Pascentio Ariano, dixit Augustinus: *aut enim licebit, (præterquam quod scriptum est in defensione fidei nominare), et nulla, maxime Græcis ubi fides orta est, denegabitur, aut non licebit.* Et versus finem epistolæ: *Si enim licet dicere, non solum Barbaris lingua sua, sed etiam Romanis* SIHORA ARMEN[6], *quod interpretatur: Domine miserere! cur non liceret in Conciliis Patrum, in ipsa terra Græcorum, unde ubique destinata est fides, lingua propria homousion confiteri, quod est Patris et Filii et Spiritus Sancti una substantia?* Addamus denique convicium ejusdem Augustini in Donatistarum sectam, quam accusat *ut præcisam ab illa radice Ecclesiarum Orientalium, unde Evangelium in Africam venit.*

Collectis omnibus, quantum scimus, locis, in quibus Augustinus origines Ecclesiæ Africanæ commemorat, videamus, num quid inde certi elici possit, quo ejus de iisdem sententia declaretur. Primo igitur loco observamus, Augustinum originem Ecclesiæ Africanæ a radice Ecclesiarum Orientalium, e terra Græcorum

6 De hisce verbis Vandalicis et Gothicis, nam eodem hi populi utebantur sermone, cf. Zahnii Ulphilam, Introductionis p. 80.

derivare. Et recte quidem; nam religionis Christianæ incunabula fuere in Palæstina. In Syriam, Aegyptum, Asiam minorem, Græciamque deinde propagata, Romæ quoque asseclas nacta est: igitur ejus in Africa prædicatio optimo jure mediate ex Orientalibus Græcisque terris derivari potuit. Nec unquam negabimus, advenas Christianos ex Oriente atque Græcia, inprimis Peloponneso, quæ antiquitus jam commerciis cum Punica illa Carthagine floruisse legitur, in Romana Carthagine sedes ponere, Christianamque doctrinam propagare potuisse; et, quod ad terram Græcorum attinet, verba quæ Augustinus addit: *unde ubique destinata est fides,* haud obscure indicant, eum de prima Evangelii prædicatione cogitasse. Deinde attendas velim, Hipponensem Episcopum epist. 162. minime excludere Ecclesiam Romanam, ubi de terris agit *unde Evangelium ad Africam venit;* hæc enim verba Africam quoque spectare, vel ex adjectivo *cæteris* patere arbitror. Igitur in ea sententia acquiescendum esse censeo, Augustinum habuisse Ecclesiam Romanam stirpem Ecclesiæ Africanæ, licet fortassis statuerit, aliunde quoque Evangelii præcones prisca ætate Carthaginem venisse.

4. Quæ vero ipsa Augustini ætate hac de re Romanæ Ecclesiæ fuerit sententia, epistola Innocentii I. Romani Episcopi, qui primus prærogativam Romani Episcopi a Petro derivavit, et hinc universalem jurisdictionem sibi vindicare studuit, ad Decentium Eugubinum Episcopum docebit: *Manifestum esse,* sic enim loquitur, *in omnem Italiam, Gallias* (exceptis tamen Lugdunensi et Viennensi aliisque Ecclesiis Græcæ originis) *Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus et ejus successores constituerint sacerdotes*[7]. Missis iis quæ de ipso Apostolo habet, quæque nullo idoneo argumento probari poterunt, hoc saltem ex epistola Innocentii patebit, ejus et Augustini ætate hanc fuisse ecclesiasticam traditionem, Roma profectos fuisse, qui Christum Afris annunciassent. Neque obstat antiquiorum scriptorum de ipsis Evangelii præconibus eorumque nominibus silentium. Ex silentio enim scriptorum argumentatio parum valet; et summis præterea obscuritatibus, deficientibus auctoribus

---

7 Epistola 25. ap. Coustant Epistolæ Romanor. Pontiff. I. p. 856.

Christianis, universa Ecclesiæ primariæ, inprimis Latinæ, historia laborat; unde in iis, quæ supersunt, fide dignis testimoniis acquiescendum nobis est. Neque video, quid impediat, quo minus Romano Episcopo asserenti, Occidentales Ecclesias Romanæ suas origines debere, ubi nimirum de singulis haud extant traditiones secus docentes, fidem habeamus.

4. Romanam illam de Africana Ecclesia Romanæ propagine traditionem in Africa quoque receptam, duobus fere post seculis scripto iterum consignavit Gregorius M. Papa. Hic enim in epistola 77. Libri 1. ad universos Episcopos Numidas[8] hæc habet verba: *Petiistis enim ab Hilaro Chartulario nostro a beatæ memoriæ decessore nostro* (Pelagio II.) *ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a beati Petri, Apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit;* Idem Lib. VIII. ep. 33. ad Dominicum Episcopum Carthaginiensem: *scientes præterea, unde in Africanis partibus sumserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod sedem Apostolicam diligendo ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis et probabili in ejus affectu constantia permanetis.* Hanc igitur, si ex cana antiquitate ad sequiora tempora delatam fuisse statuamus de origine Ecclesiæ Africanæ traditionem, facile quoque explicabimus, qui factum fuerit, ut vel ipse Cyprianus, quamvis libertatem ecclesiæ suæ acerrime defenderet, *Romam* tamen *Carthaginem præcedere* professus sit ep. 52. non tantum ob splendorem Urbis, quæ caput erat mundi, sed reverentia quoque motus erga Metropolin, a qua Carthago lucem Evangelii acceperat.

---

8 S. Gregorii Papæ I. opera omnia. Ed. Congregat. S. Mauri Tomus II. Pars. 1705.

CAP. V.

NUMERUS CHRISTIANORUM TERTULLIANI ÆTATE.

1. Ad Tertullianum usque omnia sunt obscura. Ejus vero ætate versus exitum seculi II. et seculo III. ineunte Ecclesiæ Carthaginiensis statum invenimus florentem, et Africam, inprimis Proconsularem, Christianis plenam. Quod quidem haud subito, sed sensim sensimque, a primis rei Christianæ in Africa initiis factum esse, numerumque Christianorum lento progressu, illo quod Tertullianum præcessit seculo, crevisse, non est cur ambigamus. Diversa vero fuit Christianorum, cum nationis, tum conditionis ratio.

2. Ad primum quidem quod attinet, tres diversos populos hasce regiones incoluisse constat. *Romanos* nimirum rerum dominos, qui post eversam Carthaginem Punicam sedes fixerant in Coloniis atque Municipiis, v. c. Carthagine Romana, Utica, Hadrumeto, Hippone libera aliisque. *Poenos,* quos veterem sermonem Punicum cum Hebræo fere conspirantem usque ad Augustini et Vandalorum ætatem servasse, testes sunt Augustinus, Hieronymus, Priscianus et Procopius [1]. Horum quidem Poenorum maxima pars rure degebat; attamen in urbibus quoque eos habitasse, haud pauca extant testimonia. Multa enim in provinciis oppida, incolis haud mutatis, Coloniarum titulo aucta fuisse constat:

---

[1] Augustini contra litteras Petiliani L. II. c. 104. In Johannem L. XV. Quæstion. sup. Judic. VI. 16. et in Epistol. ad Roman. initio. Hieronymus in Esaiam L. III. 7. in Jeremiam V. 25. Præf. in Epist. ad Galatas. Priscianus L. V. Bellermann de Phoenicum et Poenorum Inscriptionibus (Berolini 1810.) p. 5. Gesenii Geschichte der hebräischen Sprache und Schrift, p. 16. et 223. Incolas Phoenicum lingua sua adhuc ætate usos tradit Procopius in Vandalicis Libr. II. c. 10. Refert Inscriptionem Punicam duarum columnarum prope Tigisin Numidiæ ad fontem: Ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ, de qua confer. Io. Christ. Leuschneri Dissert. super Procopii testimonio de columnis Tingitanis valde probabili, ad calcem opusculor. variorum de secta Elpisticorum ab eodem auctore Lips. 1755. editorum.

id quod ex inscriptionibus quoque probatur[2], inprimis illa, in qua Magistratus Municipii Gurzensis in Africa, quorum omnia nomina Punicam vel Africanam indicant stirpem[3], hospitium contraxerunt cum Lucio Domitio Ahenobarbo, eumque et ejus posteros sibi et posteris Patronos cooptarunt. Alias in Itinerario Shawii passim collectas invenies[4]. Idem hoc probant numorum inscriptiones bilingues, præsertim Mauretanicorum, nec non lapis bilinguis mutilus Lepti repertus et ab erudito Hispano, qui in itinere per Orientem instituto personam Abbasidæ Ali Bey gessit[5], in tabula æri incisa XV editus. Præterea ipsis in urbibus vel familias equestris ordinis sermone Punico usas fuisse constat; quod vel unum, id vero illustrius, exemplum sororis Severi Augusti probat, Lepti, quæ fuit Tyriorum colonia[6], nata atque educata, quæ quum Romam veniret ad salutandum Imperatorem, Romanum sermonem mediocriter tantum callebat[7]. In Apuleji quoque familia Punica lingua fuisse videtur domestica[8]. Multos præterea Christianos e Punica vel Liby-phoenicia fuisse stirpe, patet ex nominibus Episcoporum aliorumque Christianorum apud Cyprianum aliosque, quæ, quamquam forsan non

---

2 AMMICAR MILCHATONIS F. CYNASIN BONCAR AZDRVBALIS F. MYTHVNBAL SAPHONIS F. CVI.NAS. MILCHO GVLASSAE F. BANNO HIMILIS F. AZDRVBAL BAISILECIS F. IDDIBAL BOSIHARIS, Suffetes civitatum Africæ, leguntur ap. Morcellum de stilo Inscriptionum Latinarum, p. 185. 186. De militari imperio iis concredito testatur alia Insriptio ap. eundem Shawium p. 148. ubi in lapide juxta arcum triumphalem Antonino Pio erectum: DEDICANTE INDVIO CR.... PRO PRætore.

3 Acta Fratrum Arvalium. p. 782.

4 Editio Gallica Hagæ Comit. 1743. Ex hac sequentia excerpsi Punica, v. Mauretanica et Numidica: FLAVIA DAILVA p. 130. FARAXEN REBELLIS. p. 104. DEVNDANIVS PAPRIMIANVS .... AEDILIS OB HONOREM p. 231. Quæ quidem inscriptio, uti Gurzensis illa, docet, hosce homines Barbaros vel saltem ex barbara stirpe oriundos muneribus publicis obeundis idoneos fuisse.

5 Verum ejus nomen est Badia, in exercitu Hispanico prætor.

6 Plin. Hist. Nat. V. c. 19. De hac urbe Sallustius Bell. Jugurthin. c. 77. (al. 80.) *Ejus civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum; legum cultusque pleraque Sidonica.*

7 Spartianus in Severo c. 15.

8 De privigno suo dicit Apolog. p. 336. *loquitur nunquam nisi Punice, et si quid adhuc a matre græcissat; Latine enim neque vult, neque potest.*

omnia sunt Punica, ex latinitate tamen haud derivari possunt: utpote Narzales Martyr Scillitanus, Iader Confessor et Martyr, in Conc. Carthag. I. apud Cypr. p. 238. Aymnius v. Ahimnius ab Ausvaga, ibid. et ep. 56. p. 115. Mappalicus, ep. 22. p. 48. qui fuit Martyr p. 52. Machæus quidam, ep. 44. p. 85. Satius, Monulus, Ep. 57. p. 116. Naupulus, Ep. 62. p. 146. Narruccius Gargilius, Jubainus ep. 73. p. 198. Litteus ep. 86. p. 230. Dioga Leptimagnensis, Conc. Carthag. p. 282. Atque nomina hæc Punica duobus seculis post ista tempora nondum in desuetudinem abiisse patet ex multis nominibus Episcoporum, qui anno sexto Hunnerici Regis Vandalorum Carthaginem venerunt pro reddenda ratione fidei[9]. Quin ipse Augustinus ep. 209. (261.) ep. 84. (242.) ep. 66. (173.) conqueritur de difficultate populum Punicum in religione Christiana edocendi, lætusque narrat, se, quum novi Episcopatus Fussalæ paucis ab Hippone lapidibus condendi consilium iniisset, reperisse Presbyterum Punici sermonis gnarum.

Tertium hominum genus constituunt *veteres Africæ incolæ*, Numidæ Maurique, sermone usi a Punico æque ac a Latino diverso, licet nonnullis in locis apud Liby-phoenices ex Numidarum[10] Poenorumque, qui in unam gentem coaluerant, mixtus fuerit idiomatibus[11]. Horum quidem posteri videntur esse *Berberi* vel *Cabyli* illi, qui hodieque nomadicam agunt vitam, proprioque utuntur sermone, cujus notitiam dat Shawius[12], cujusque forsitan ex antiquitate unicum

---

9 Schelstrate Eccl. Afric. p. 293.

10 Propriam Numidis fuisse linguam, præter locum Sallustii mox laudatum, testem quoque habemus Valerium Max. Lib. I. de relig. c. 1. de dentibus elephanti templo Junonis Melitensi a Massinissa restitutis, *gentis suæ literis inscriptis* narrantem. v. Antonii de Torres opusc. cui titulus: Letteratura de' Numidi (Venez. 1789.) p. 47.

11 Videatur libellus noster de religione Carthaginiensium p. 108. addaturque Procop. Vandal. II. c. 10. unde constat, eos sec. adhuc VI. Phoenicia usos fuisse lingua.

12 Voyages de Shaw. preuves no. 24. Nescio an eadem sit, qua utuntur Tuariki, deserti Africæ ad Austrum regni Fessani incolæ, Ertana appellata, quam veterum illam Berberorum linguam perhibet Lyons in libro: Narrative of travels in Northern Africa, in the years 1819. 20. v. Ephemerid. Göttingenses 1823. p. 1852. 53.

superest vestigium in inscriptione bilingui Punicis et incognitis litteris scripta, quam integram edidit celeberr. Hamakerus[13].

Hosce vero homines, vitam vagam sub tentoriis degentes, vix crediderim tam mature visitatos et ad Christum conversos fuisse. Religio Christiana priscis his temporibus per Evangelii præcones certe non ultra Romani imperii fines propagata fuit. Nam Augustini demum ætate prima ejus semina inter populos nonnullos Romanis conterminos sparsa fuisse, ex ejus Epistola 80.[14] discimus. Hos igitur Atlantis montis juga atque interiores Imperii hodierni Maroccani partes habitasse probabile est. Ad tribus vero illas Romano Imperio nunquam obnoxias, quæ in deserto, quod Sahara appellatur, nomadicam egerunt vitam, et a pluribus inde seculis Islamismum amplexæ sunt, quarumque notitiam dant Itineraria recentiora, Christi nomen haud unquam penetrasse videtur. Itaque duplex tantum hominum autumo genus fuisse, in quibus erudiendis versati sunt prisci isti præcones: *Romani* quippe et *Poeni,* quibus addendi sunt *Græci* et *Judæi* qui in Africanis urbibus commerciorum causa sedes fixerant, si qui inveniebantur, qui ad puriorem doctrinam proclives essent. Et in Græcis quidem hominibus, vel ex Græca prosapia ortis, haud ita paucos fuisse qui Christo nomen dedissent, testantur nomina plurimorum Episcoporum in Concilio Cypriani[15]. Nihilo tamen

13 Diatribes ad cap. I. laudatæ Tab. 2.

14 *Sunt apud nos* (in Africa) *Barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum Evangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi, et Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Pauci tamen anni sunt, ex quo quidam eorum rarissimi atque paucissimi, qui pacati Romanorum finibus adhærent, ita ut non habeant reges suos, sed super eos præfecti a Romano constituantur Imperio, et illi ipsi eorum præfecti Christiani esse coeperunt. Interiores autem, qui sub nulla sunt potestate Romana, prorsus nec Religione Christiana in suorum aliquibus detinentur.* Gætulos quidem Tinguitanos, Mauretanosque Nomades sua ætate religione Christiana imbutos commemorat Arnobius adv. Gentes I. c. 10. p. 10. le Maire. Sunt vero hi haud dubie intra limites Imperii Romani quærendi; Mauretanosque plurimos Vandalorum tempore avitæ superstitioni adhæsisse, docet Procopius de bello Vandalico II. c. 6. cf. quoque Mannerti Geschichte der Vandalen. p. 110.

15 V. C. Epictetus Assuri Episc. Eugenius Ammenderæ E. Demetrius Leptis minoris E. Therapius Bullæ E. Nicomedes

secius Tertullianum l. adv. Judæos c. 7. paululum rhetoricari cum Moshemio existimo[16], ubi de religionis Christianæ suo tempore propagatione hisce verbis loquitur: *In quem enim etiam universæ gentes crediderunt, nisi in Christum qui jam venit?* quas in sequentibus enumerat; e quo recensu, magnam partem ex Actis Apostolor. II. 9. sequ. sumto, huc inprimis faciunt: *immorantes Aegyptum et regionem Africæ quæ est trans Cyrenem;* quæ quidem, si de singulis hominibus, qui Christo nomen dedissent, intelliguntur, veritati haud repugnant; addit vero: *ut jam Gætulorum varietates et Maurorum multi fines, quæ ut Britannorum Romanis inaccessa loca*[17], *et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quæ enumerare minus possumus,* quos in sequentibus habet, ita sunt vaga, ut historice nil exinde colligere liceat. Similem populorum Christianorum indicem texunt Irenæus adv. Hæres. I. c. 10. in quo etiam mentio fit Ecclesiarum *ἐν Λιβύῃ ἱδρυμένων*, Chrysostomus, Theodoretus, aliique seriores auctores. Nostra tantum interest afferre quæ antiquissimi habent.

3. Sed Tertulliani jam ætate magnam Christianorum multitudinem coetusque haud ita paucos in Africa fuisse, ex variis quæ passim ingerit, omni quoque demta rhetorica amplificatione, colligitur, etsi haud ubique de sola Africa, sed de Christianis in universo Imperio Romano loquitur. In libro vero ad Scapulam Africam et ipsam respicit Carthaginem. Sic enim Præsidem Christianos exosum adloquitur[18]: *quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac feminis omnis sexus, omnis dignitatis, offerentibus se tibi?*

Segermæ, E. Polycarpus Hadrumeti, Adelphius Tasbaltes, Eucratius Thenarum: omnes ex Provincia Proconsulari. E Numidia tantum Zosimus Thavasæ et Nemesianus Tubaris Episcopi.

16 De rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 205.

17 Britannis tamen atque Mauretaniæ incolis religionem Christianam eadem illa ætate haud plane fuisse ignotam, testem quoque habemus Origen. Hom. VI. in Lucæ Cap. I. Tomo III. p. 939. Ruæi. *Virtus domini Salvatoris*, sic habet Hieronymus Interpres, *et cum his est qui ab orbe nostro in Britannia dividuntur, et cum his qui in Mauretania, et cum universis qui sub sole in nomine ejus crediderunt.*

18 ad Scapulam c. 5.

quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos? In quibus quidem verbis rhetorem facile agnosces: namque ea, quæ de decimanda Carthagine habet, ad literam haud intelligenda esse per se patet, quum Carthagini, Roma, quæ juxta Gibboni calculos 1,200,000 habuit incolas[19], minori, vix dimidiam eorum partem tribuere liceat[20]. Neque premenda sunt verba in eodem libro c. 2., ubi *partem pæne majorem civitatis cujusque Christianam esse asserit;* eadem enim hæc leguntur quoque in Apologetici c. 37.: *nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum pæne omnium civitatum.* Sed certo tamen colligitur, magnum Tertulliani ætate in Africa fuisse Christianorum numerum, virorum, feminarum, nec plebejorum tantum, ut agricolarum, fabrorum, opificum, mercatorum, verum etiam illustrium, equestris quippe et senatorii ordinis. Et Senatores quoque Christianos fuisse, carmen probat vetustum ignoti auctoris, qui tamen haud dubie fuit Afer[21], ad Senatorem qui defecerat. Hoc quidem jus quod honores adipisci possent, Christiani fortassis Antoninis acceptum referre debebant, quum a Marco ipsis Judæis concessum

---

19 Cum hoc Gibboni calculo fere conspirat ille, quem Brotierius in notis ad Tacitum exhibet, 1,188,000, rotundo numero; nam 162 illos, quos addit, taceamus.

20 Gibbon History of the decline and fall of the Roman Empire, ed. Basil. Vol. V. c. 31. p. 237. Video, Gilbertum Burnetum Episcopum Sarisberiensem in Itinerario Helvetiæ Italiæque ex Cornelii Epistola ad Fabium (Euseb. II. E. VI. c. 43.) in qua numerus Clericorum Romanorum anno 251 recensetur, numerum Christianorum, quibus eo tempore Ecclesia Romana constabat, deprehendere sibi visum esse, et totam multitudinem ad 40 circiter millia redegisse. Basnage Exerc. Baron. p. 532. Qui calculi, si recte subducti sunt, ad Ecclesiam Carthaginiensem Cypriano Episcopo applicati, dabunt forte circiter 20000 Christianorum in hac Africæ metropoli. Veniam concedet æquus lector, quod hisce conjecturis indulgeamus.

21 In editione Cypriani Oxoniensi 1682, post opuscula Arnoldi abbatis Bonæ Vallis, qua constanter usi sumus; id quod semel monuisse sufficiat.

fuerit[22]; neque statuendum, ab egregiis hisce Imperatoribus Christianos tranquillos et pacis unice artibus deditos deterioris habitos fuisse conditionis, quam Judæos sub Hadriano et adhuc sub Antonino Pio rebelles, quamquam leges a decessoribus eorum latæ haud fuerunt abolitæ[23]. In hisce vero Christianis Afris fuisse qui divitiis abundarent ex prædiis vel ex mercatura paratis, luxus matronarum Christianarum, quem Tertullianus et Cyprianus acriter carpunt, aperte declarat. Easdem has divitias produnt Tertulliani verba Apolog. c. 39. de eleemosynis e thesauro Ecclesiæ in pauperes, naufragos, captivos, in metalla damnatos, erogatis (CAP. XII.). In exercitu fuisse milites Christianos, patet ex libello de corona militis; Christianam quoque religionem in gynæcea familiarum nobilium penetrasse docent acta passionis S. S. Perpetuæ et Felicitatis, quarum prior dicitur *honesta, liberaliter instituta matrona,* et cippus Pescenniæ Quodvultdeus, a marito ejus Marcello Proconsule positus, de quo inferius Capite XXVI. agetur. In hisce vero omnibus Christianis Afris multos alios fuisse, etsi non generis nobilitate præclaros, ingenue tamen educatos, literisque, quæ in Africa primis post Christum natum seculis floruere[24], institutos, eosque bonis artibus et disciplinis profitendis sibi interdum necessaria quæsivisse non est quod dubitemus. His igitur, quum et Philosophiæ inprimis Neoplatonicæ operam navassent, ipsa major animi cultura ad amplectendam religionem Christianam viam munivit. Ili non sacram tantum Scripturam, sed libros quoque Theologorum Christianorum sedulo legebant; unde facili

---

22 Ulpianus Digest. I. 2, 3, 3. *Eis qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divus Verus et Antoninus honores adipisci permiserunt.*

23 Tertull. ad Scapulam c. 4. *Sicut non palam ab ejusmodi hominibus* (Christianis) *poenam dimovit* (Marcus Aurelius), *ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore.*

24 Apuleji Florida p. 363. *Carthago provinciæ nostræ magistra venerabilis, Carthago Africæ musa coelestis, Carthago Camoena togatorum.* Bibliothecam Carthaginiensem commemorat ibidem p. 359. De se ipso ibid. et pag. seqq. se Carthaginiensium disciplinas studiosius percolere, se disciplinas eorum in pueritia apud eos fuisse adeptum; nec libros suos illectos improbatosque. Carthaginienses utriusque sermonis Græci ac Latini æque gnaros innuit.

negotio explicandum, qui Tertullianus tot adversus Hæreticos libros aliaque opuscula edere potuerit, quæ sane haud scripsisset, nisi in Africa fuissent qui legerent atque intelligerent. Multos autem illo tempore in Africa jam extitisse Christianorum coetus, inferius probabitur. Atqui horum coetuum Episcopos et Presbyteros docentes incultos illiteratosque fuisse homines minime statuendum; quo enim modo hi Christianos bene eruditos docere potuissent? Eos præterea neque servos, neque manumissos ac libertos, sed ingenuæ conditionis fuisse, per se patet. Si porro attente leguntur quæ Tertullianus habet de luxu feminarum, facile intelligetur, hisce non ancillas carpi sed matronas Christianas. Addamus multos in Africa ejus jam tempore extitisse Gnosticos, et variarum quidem sectarum adseclas; quorum tamen coetuum placita amplecti minime potuerunt homines plane rudes atque decretorum philosophiæ Orientalis ignari. Ad Valentinianorum præterea sascra non nisi ditiores admittebantur, qui magna pecunia initationem redimebant [25]; unde valde fit probabille, omnes illos, qui iis sese adjunxissent, fuisse homines ingenuos, et sine dubio Romanos Græcosque, aut Romanis et Græcis saltem litteris eruditos. Afros enim, qui inprimis tempore inter Tertullianum atque Cyprianum interjecto majori numero ad Christiana sacra accessisse videntur, sectarum Gnosticarum abstrusa dogmata haud adoptasse, quemvis illorum temporum gnarum mecum consentientem me habiturum existimo.

4. Verum præter ingenuos ingens quoque in Africa extitit servorum multitudo. Ubique enim in orbe Romano patriciæ familiæ, utpote quæ prædia villasque magno numero possidebant [26], immensa alebant servorum agmina, quæ homines ingenuos numero certissime superabant [27]. Et Africam, inprimis

---

25 Irenæus adv. Hæres. I. 4, 3. Initiatio in Eleusinia magna quoque pecunia redimebatur. Meursii Eleusinia c. 8. Neque minus vendebantur Mysteria Isiaca, teste Apulejo Metam. XI. p. 267. 271. Elmenh.

26 De Tacito Imperatore legitur apud Vopiscum in vita Flori c. 3. eum prædia, quæ in Africa possidebat, Jovi Capitolino dono dedisse.

27 Athenis ingenuorum numerum cum servorum numero comparatum fuisse ut 27: 100. vel 1: 4., docet Boeckhius, Staatshaushaltung der Athener I. p. 40.

Proconsularem, in qua ditissimarum familiarum sita erant prædia, in qua præterea servi ab antiquissimo inde tempore emebantur, atque vix erat familia quæ servos haud aleret[28], mancipiis abundasse undecunque conquisitis, Nigritis, Thracibus, Cappadocibus, Judæis, ne dubitandi quidem foret locus, etsi deessent testimonia historica. Neque vero hæc desiderantur. Multos id genus homines fuisse in Africa testatur Apulejus, qui de uxore sua narrat, eaque tamen opulentissimis haud adnumeranda, partem prædiorum suorum minorem, in qua servi haud minus quadringenti erant, filiis cedente[29]. Hinc facile colligitur, magnam Christianorum partem, qui rure degebant, servilis fuisse conditionis.

Hosce quoque Christianos campestres memorat Tertullianus Apologet. c. I. *obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos.* et cap. 42. *Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur.* Idem hoc innuit Cyprianus (ep. 43. p. 82.[30]) *de Clericis urbicis* loquens, quæ vero appellatio supponit Clericos rurales; et rure in Africa procedente tempore Ecclesias fuisse magno numero, Donatistica historia satis docet. Hæc vero utcunque sint, servos prisco jam tempore Christiana sacra amplexos fuisse constat ex actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis, in quibus *Revocatus et Perpetua conserva ejus* nominantur. Quæ autem vox *conserva,* non de Christianismo, sed de civili eorum statu intelligenda est; namque σύνδουλος (Matth. XVIII. 28. XXIV. 49.) et CONSERVVS de iis, qui erant unius ejusdemque famulitii, in marmoribus veteribus haud raro legitur[31]. Ultimo denique loco pro magno Christianorum in Africa numero antiquiori jam ætate afferendi sunt libri, quos

---

28 Athenis in ædibus ingenuorum sæpe numerabantur 50 mancipia, apud ditiores longe plura; neque facile fuit civis qui haud unum saltem haberet. Boeckh p. 41.

29 Apuleji Apologia p. 333. Elmenh.

30 Clericos urbicos Romanæ Ecclesiæ Jo. Cestriensis intelligit. Sic etiam Balutius in notis ad Cypriani Epistolas, editioni opp. ejus subjunctis p. 428. Haud tamen video qua idonea de causa: nam Carthaginem in ipsa Africa æquo jure Cyprianus *urbem* vocare potuit, quo Itali Romam, Athenienses suam metropolin ἄςυ, c. s. p. appellarunt. Carthaginienses indicari totus præterea contextus docet.

31 Apud Reinesium Inscr. p. 884. 895. 896. Castelli Princ. Turrismutiæ Inscr. Sicil. p. 130.

Tertullianus adversus Gnosticorum sectas exaravit, Marcionitas nimirum, Valentinianos, aliosque. Hæreticos vero haud potiorem Christianorum Afrorum partem constituisse, nulla demonstratione indiget. Accesserunt postea Montanistæ, quibus ipse se addixit; et subsequente ætate numerum hæreticorum valde crevisse necesse est, quum Cyprianus epist. 73. p. 199. *de tot millibus hæreticorum in provinciis nostris* (Africanis) *bapzizatis* loquatur.

5. Hæc igitur omnia fidem faciunt iis, quæ de primo Concilio Africano ab Agrippino anno circiter 215 traduntur, in quo ex Africa Proconsulari atque Numidia 70 Episcopi convenerant. Neque dubium quin in Mauretania quoque, in quam sua ætate religionem Christianam penetrasse Origenes loco supra laudato testatur, jam fuerint Ecclesiæ atque Episcopi. Itaque ineunte seculo III. florentem Ecclesiæ Africanæ invenimus statum. Neque facile a vero aberrabimus, si Christianorum in Africanis provinciis numerum ante Agrippinum ultra centum millia crevisse statuamus, ita quidem ut plurimi essent Carthagine et in Proconsulari, pauciores in Numidia atque Mauretania, paucissimi in Tripolitana provincia, ubi quinque tantum Episcopos fuisse legimus; id quod forte ex arenoso [32], remoto et inaccesso ejus situ, atque populari superstitione, quæ Ammonem Libycum et Aesculapium[33] magnopere venerata est, explicandum erit.

---

32 Virgilius Æneid. IV. v. 42. per *desertam siti regionem* innuere videtur Tripolitanam, quam post *inhospitam Syrtim* locat. Ptolemæus Sabratam, Oeam et Leptin magnam, quæ sunt civitates provinciæ Tripolitanæ, ponit in parva Syrti. cf. Routh. Reliquiæ sacræ III. 167.

33 De fano Aesculapii in civitate Oea frequentato cf. Apulcji Apologiam. p. 310. Elmenh.

CAP. VI.

NOMINA ECCLESIARUM, EPISCOPORUM ET CLERICORUM AGRIPPINI ET TERTULLIANI TEMPORE, QUÆ REPERIRI POTUERUNT.

1. De tempore, quo conditæ fuerint 70 illæ Ecclesiæ, Agrippino Episcopo Carthaginiensi, Christo jam collectæ, nihil constat. Ex earum numero paucas tantummodo recensent Tertullianus et Cyprianus, quas una cum nominibus Episcoporum, quæ reperiri potuerunt, jam indicabimus.

1) *Carthago.* Carthaginis Romanæ descriptionem dant Ausonius carmine de claris urbibus apud Hudson. Geogr. minor III. p. 228. 229., Anonymus in expositione totius mundi ap. eundem p. 17. 18., Salvianus de Gubernatione Dei VII. p. 257. 250. aliique passim. In hac quidem Africæ metropoli prima ecclesiæ fundamenta jacta esse, omnis historiæ primitivæ ecclesiæ analogia suadet, incertum exeunte primo, an ineunte secundo seculo? lubens enim assentior Schelstratio primos religionis Christianæ præcones Africam 100 aut saltem 80 annis ante Agrippinum, quo Episcopo florens jam Ecclesiæ Africanæ status deprehenditur, visitasse conjicienti. Primum quidem quem Carthaginiensium Episcopum exhibet Pseudo-Hippolytus de LXXII. discipulis, *Laudatum*[1] Simonis Apostoli comitem, nominasse sufficiat.

Series igitur Episcoporum Carthaginiensium incipere videtur ab *Optato;* cujus mentio fit in Actis Passionis S. S. Perpetuæ et Felicitatis[2]; quas non

---

1 Addit: *Mandat insuper salutari et Epænetum, quem Dorotheus tradit factum esse Episcopum Carthaginiensem.* Est procul dubio idem homo, quum *Ἐπαίνητος* Latine sit *Laudatus.* Nomen occurrit Rom. XVI. 5. In monumentis quoque legitur: extat numus Hierapoleos Phrygiæ, sub *ΕΠΑΙΝΗΤΩ* Magistratu cusus. (Sestini Classes Geograph. p. 123.) Ex commemoratione vero Epæneti in Epistola ad Romanos fabula orta videtur. Nescio quo casu Schelstrate p. 10. nomen scribat *Caudalus,* fictum, vix ac ne vix quidem apud Græcos Romanosque reperiundum, nisi forte in Lydorum lingua sit quærendum.

2 Ruinart Acta Martyr. p. 91. 92.

Turburbii sed Carthagine passas esse inferius demonstrabitur. Hæ vero quum Martyrio coronatæ sint natalibus Getæ Cæsaris, qui Cæsar renunciatus est anno u. c. 951., Chr. 191. tempus constituitur quo Optatus Episcopatum gessit[3].

2) Post Optatum ponendus *Agrippinus,* quem habet Cyprianus, primus huc usque creditus Episcopus Carthaginiensis[4]; de quo plura CAP. XXII. de Concilio ab eo habito, anno ut videtur 215, acturi, dicemus. Vixisse videtur sub finem seculi II. et initio tertii; itaque Augustinus Libro IV. contra Donatistas c. 6. veritatem haud læsit, de *paucis ante Cyprianum annis,* quibus Concilium Agrippini habitum fuit, loquens, quos tamen ipse Cyprianus (Ep. 73. ad Jubajan.) *Multos annos et longam ætatem appellat*[5]. Cyprianus enim istis temporibus tanto erat propinquior, quam Augustinus, qui duobus fere post eum seculis vixit; inde factum ut majora temporum intervalla ipsi viderentur.

3) *Cyrum* habet Schelstratius p. 272. ex Martyrologio Romano; et vix tempus apparere docet, quo Cyprianum inter et Augustinum Hipponensem Episcopum ejus Episcopatus assignari possit, itaque antiquiorem fuisse statuit[6]. Nihil de eo constat: sed celebratam ab Ecclesia Africana ejus fuisse memoriam, Possidium habemus auctorem, qui in vita Augustini tradit, Hipponensem Episcopum Sermonem de ejus depositione habuisse in annua ejus commemoratione.

4) *Donatus,* de quo ipse Cyprianus ad Cornelium Romanum Episcopum ep. 59. p. 132. *Antecessorum etiam nostrorum, quod et vestram conscientiam non latet, Fabiani et Donati litteris severissime notatum fuisse Privatum hæreticum.* Donatus igitur Cypriani, sicut Fabianus Cornelii, fuit

---

3 Optatum Morcellus Agrippini successorum facit. I. p. 51. et sedisse statuit ab anno 201. usque ad 204.

4 Agrippinus hic probe distinguendus est a duobus aliis Episcopis cognominibus, quorum alter Alexandrinam Ecclesiam rexit ab anno 167-179. (Euseb. H. Eccl. IV. 19. Tillemont Mémoires pour servir a l'histoire Ecclesiastique des six premiérs siècles II. 186. b.); alter Neapolitanæ Ecclesiæ præfuisse dicitur tempore Pii Episcopi Romani (Tillem. ibid. p. 131. et 297.)

5 Cf. Routh Reliquiæ Sacræ III. p. 137.

6 Huic Morcellus annos ex arbitrio adsignat 205-224.

decessor[7]: quod quidem haud animadvertit Lucas Holstenius, qui Fabianum quoque facit Carthaginiensem Episcopum; id quod uberius ostendit Jo. Cestriensis Episcopus in Annalibus Cyprianicis p. 9. Episcopatum vero Carthagine eodem tempore quo Fabianus Romæ gessit; qui cum hanc ecclesiam rexerit annis 236-251. et Privatus ille Lambesitanus, de quo CAP. XXIV. agetur, Cypriano ep. 59. dicatur *vetus hæreticus*, Donati tempora incidere probabile est in priores Fabiani annos. Itaque eum anno 240. v. 242. in quorum uno Concilium Lambesitanum habitum esse videtur, superstitem fuisse statuimus. Quo vero anno decesserit plane nos latet. Nec certi quid ex verbis Cypriani ad Cornelium ep. 59. ubi de Donato et Fabiano *antecessoribus nostris* loquitur, colligi potest, quum *antecessores* omnes qui ante se fuerunt Episcopos dicat; attamen probabile fit ex epistola cleri Romani ad Carthaginiensem, cum verbis Cypriani mox relatis comparata. Post Cyprianum vero, qui non nisi invitus episcopatus onus in se suscepit, successio Episcoporum Carthaginiensium paucis tantummodo difficultatibus premitur. Donati laudes nobis invidit vetustas; paucis vero verbis continentur in Epistola Presbyterorum et Diaconorum Ecclesiæ Romanæ ad Cyprianum, inter Cyprianicas 30. *Novimus Carthaginiensis Ecclesiæ* (ab eo recens administratæ) *fidem, novimus institutionem, novimus humilitatem*[8]. Eo mortuo anno 248. Episcopus Carthaginiensis electus est

5) *Cyprianus*, quem quidem immediatum Donati successorum fuisse, expressis verbis haud asseritur, ne a Pontio Cypriani Diacono quidem, qui ejus vitam scripsit. Quum vero Pontius in illa ejus vita habeat: *plures ante Cyprianum ex bonis et sacerdotibus sedisse*, probabile est plura Episcoporum nomina ante et post Agrippinum intercidisse, licet ea, quæ habet Augustinus libro de unico baptismo contra Petilian. c. 13. *de septuaginta præcessoribus Cypriani*, intelligenda minime sint de Episcopis Carthaginiensibus, sed universe de Africanis illis, qui concilio ab Agrippino coacto interfuerunt. Nam incredibile prorsus esset, 70 præsules duobus seculis in una sede sibi successisse[9].

---

7 Itaque rexit ecclesiam Carthaginiensem a Morte Cyri usque ad Ann. 248. quem quoque primum Episcopatus Cypriani annum ponit Morcellus.

8 Morcelli Africa Christ. II. p. 97.

9 Schelstrate Eccles. Afric. p. 271.

Presbyteri quoque et *Diaconi* nonnulli Carthaginienses ante Cyprianum leguntur. Et *Tertullianus* quidem inter Ecclesiæ Africanæ doctores primus est. *Aspasius* Presbyter, qui in Passione S. S. Perpetuæ et Felicitatis *Doctor*[10] (nimirum Catechumenorum) audit, quique controversiam habuit cum Optato Episcopo, quam ceteroquin prorsus ignoramus. *Saturnus* et *Saturninus* Presbyteri aut Diaconi Carthaginienses fuisse videntur[11]. *Cæcilius* Cypriani amicus, a quo ad amplectendam religionem Christianam adductus fuit, cujusque nomen adscivit, de quo vide Jo. Cestriens. in annal. Cypr. p. 6.; idem forsitan quem interlocutorem habet Minucius Felix in elegantissimo Dialogo *Octavius* inscripto[12]. Ipse *Cyprianus*, qui, antequam ad Christum esset conversus, magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, ut habet Lactantius[13]. Nec injuria *Victorem* notissimum illum Episcopum Romanum, qui Afer fuisse perhibetur, aliquando in Clero Carthaginiensi numeratum fuisse conjicere licebit[14]; ut et *Commodianum*, poëtam Christianum, qui ex plerorumque sententia Afer fuit et Cypriani æqualis[15]. In his Ecclesiæ Carthaginiensis Presbyteris fuit quoque *Novatus*, in schismate Novatiano dux partium; de quo quidem haud sine indignatione animique commotione verba facit Cyprianus, eumque pessimorum flagitiorum in Africa commissorum incusat, epist. 52. p. 95.: quæ, licet forte

---

10 Apud Ruinartum. p. 92. Morcelli I. p. 45.

11 In manuscripto codice Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiis, qui S. S. Perpetuæ et Felicitatis Passionem continet, Satyrus et Saturninus, duo fratres appellantur *venerabiles viri*, id quod Clericos indicare videtur. v. Lucæ Holstenii editionem Passionis S. S. Perpetuæ et Felicitatis (Paris. 1664.) p. 79.

12 De eo vide Morcellum II. p. 75. et 142.

13 Instit. Div. V. 1.

14 Cf. Tillemont Mémoires III. p. 44. Josephi Zolæ, theologi Ticinensis eruditissimi, Commentarios de rebus Christianis ante Constantinum M. II. p. 424. et Morcellum I. p. 42. qui Afrum fuisse existimat.

15 Oelrichs de scriptoribus Eccl. Lat. prior. sex seculis p. 44. Schurzfleisch in ed. Instructionum adv. Gentium Deos. Witebergæ 1705. Quantam celebritatem hic nactus fuerit, vel ex eo patet, quod in decreto Gelasii libri ejus prohibiti sunt.

haud sine ira dicta sint[16], declarant tamen, Novatum Carthagine vitam haud degisse, quæ Clericum decuerit. Fuit tantummodo Presbyter, nunquam vero Episcopus, ut Baronio et Petavio visum[17], Romamque petiit ante Episcopatum Cornelii, anno p. C. n. 251.[18]. *Numidicum* habet Cyprianus Ep. 40. a se ob constantiam in persecutione ad Presbyteratus gradum evectum, atque *Rogatianum* Presbyterum, quem gloriosum senem vocat (ep. 6.)

Diaconos quoque *Tertium* et *Pomponium*, qui Confessorum et Martyrum pro muneris officio curam gerebant, habet Passio S. S. Perpetuæ et Felicitatis[19]. Multorum præterea aliorum Presbyterorum atque Diaconorum Ecclesiæ Carthaginiensis nomina Epistolæ Cypriani passim commemorant, qui vero, quum Cypriani fuerint æquales, eoque Episcopo muneribus suis functi, hujus disquisitionis linites excedunt. Horum vero omnium nomina, una cum successorum quotquot reperiri potuerunt, dabit Morcellus Africæ Christianæ Vol. I. a p. 58. inde.

Assurus Prov. Proconsularis. Hujus urbis in Cypr. ep. 65. anno 253. scripta memoratur Episcopus *Fortunatianus*, in persecutione lapsus. Videtur vero Cypriani Episcopatu fuisse ântiquior, quum *quondam* dicatur Episcopus aliusque *Epictetus* in ejus locum suffectus fuerit. De hoc Cyprianus: *eum pro integro agere velle et Episcopatum sibi vindicare coepisse.*

Lambæsitanam vel *Lamasbitanam*[20] in Numidia Ecclesiam memorat Cyprianus Ep. 59. p. 132. cujus Episcopus *Privatus* a Donato Carthaginiensi 90 Episcoporum sententia damnabatur.

Uthinensis prope Carthaginem, cujus Episcopi mentionem facit Tertullianus de monogam. c. 12. *Prospiciebat Spiritus S. dicturos quosdam, omnia licent Episcopis, sicut ille vester Uthinensis. Felicem ab Uthina* concilio a Cypriano celebrato interfuisse, auctor est Augustinus contra Donatistas VI. c. 33.

---

16 Cf. judicium Moshemii in Comment. de rebus Christianor. ante Constantinum M. p. 501. et Walchii in Hist. Hæres. II. p. 203-5.

17 Walch. I. c. p. 204.

18 ibid. p. 225.

19 Ruinart. p. 86.

20 Concilium Carthaginiense sub Cypriano hujus urbis nomen habet Lamasba. Fellus imprimendum curavit Lambesa, cui suffragatur Ptolemæus *Λαμαίσα* v. *Λαμβαίσα* scribens. v. Routh Rel. Sacræ III. p. 105.

Scillitana, nobilis a Martyribus Scillitanis; quam quidem Geographia sacra ponit haud procul a Carthagine, illudque oppidum Coloniæ juribus auctum fuisse, probat Inscriptio vetus a Shawio relata [21]. Hujus Ecclesiæ Episcopus aut forsitan Presbyter fuit *Speratus,* cujus nomen in Actis Martyrum Scillitanorum primo loco legitur, quique Proconsuli præcipue respondisse videtur, librosque Christianorum sacros interrogatus recensuit. Hunc Bollandistæ perperam Episcopum Carthaginiensem faciunt [22].

Tuburbitana, quæ fuit Ecclesia Episcopalis Cypriani ætate, quum *Sedatus a Tuburbo* Synodo Carthaginiensi interfuerit [23]. Duæ hujus nominis fuerunt urbes, altera major, altera minor, utraque in Zeugitana. Utra fuerit nostra, incertum: at nobilem fuisse hanc Ecclesiam vel ex eo liquet, quod S. Augustinus pluresque Codices S. S. Perpetuam et Felicitatem in ea passas esse statuunt, et Hipponensis Doctor sæpius de Tuburbitanis Martyribus loquitur. Martyres igitur celebres habuisse, cum Perpetua ejusque sociis deinde confusos, valde est probabile.

Incertarum sedium Episcopos habemus brevi ante Cyprianum tempore *Caldonium* et *Herculanum,* quos Carthaginiensis Martyr, dum exul erat, ad regendam suam Ecclesiam misit [24]. *Geminius Faustinus* quoque *Furnitanæ* Ecclesiæ Presbyter memoratur [25].

Pauci hi Episcopatus antiquissima ætate occurrunt. Multo plures extitisse, Concilia docent ab Agrippino et Donato Carthaginis Episcopis celebrata, quorum priori 70, posteriori 90 interfuerunt Episcopi. Sed quo tempore singuli Episcopatus conditi fuerint, prorsus ignoratur. Qui autem Cypriano sedente extiterint Episcopatus, sequens recensio docebit [26]. Crevit deinceps numerus

---

21 P. 261. incipit a verbis COLONIAE SCILLITANAE.

22 Mém. de Tillemont III. p. 57.

23 Cypr. opera p. 233. No. 18.

24 Ep. Cypriani 41. p. 79. Baluz. in vita Cypriani, ed. operum adjecta p. 55.

25 Cypr. Epistola Baluz. p. 46. de Geminio §. 13.

26 Usi sumus in hoc Dioecesium catalogo concinnando Actis Concilii Carthaginiensis a Cypriano anno 256. habiti, in operibus ejus p. 229., Geographia sacra Africæ in Dupinii edit. Optati Millevitani de Schismate Donatistarum (Antver. 1702.) p. XXIII. Caroli a S. Paulo Geographia sacra cum notis L. Holstenii Amstelod. 1704.) et Morcelli Africa

adeo, ut Augustini tempore in Africa circiter 446 essent Episcopatus, in quibus vero multos rurales minimique ambitus fuisse necesse est[27].

2. Prisco illo tempore Africanæ Ecclesiæ divisio eadem jam erat, quæ in civili ejusdem administratione obtinebat. Africam nimirum Romani, quod jam CAP. I. notavimus, diviserunt in Mauretanias duas, Tingitanam nimirum et Cæsareensem, Numidiam et Zeugitanam, quæ Africa proprie dicebatur, ac in duas distribuebatur, quarum una erat Byzacene, altera Tripolitana. Hanc quoque fuisse Ecclesiæ Africanæ antiquissimam divisionem, testis est Cyprianus in Epistola 48. ad Cornelium p. 91., ubi limites et partes Ecclesiæ Africanæ sic describit: *Sed quoniam latius fusa est nostra provincia, habet enim Numidiam et Mauretanias duas cohærentes.* Sic quoque in actis Concilii Carthaginiensis sub eodem Cypriano anno 256. habiti legitur: *Quum in unum Carthagine convenissent Episcopi plurimi provincia Africa, Numidia, Mauretania*[28].

Hunc igitur sequuti ordinem, Cypriani ætate habemus Episcopatus per omnes Africæ Provincias constitutos eos, qui jam recensebuntur ex Actis Concilii Carthaginiensis.

PROVINCIA PROCONSVLARIS.

Carthago.
Abbir Germaniciana.
Abitini.
Adrumetum.
Aggya, v. Aga.
Assurus.
Ausafa.
Auzvaga I. (nam duæ exstitere.)
Col. Bisica Lucana, deinde Buslacena.
Bulla.
Capsa Byzazenes.
Carpi.
Chullabi, forte Cululi.
Cybaliana, forte Cerbaliana.
Dionysiana.
Furni.

Christiana Vol. I. quod Notitiam Episcopatuum Africæ continet, quos per omne quo floruit Ecclesia Africana tempus 715. recenset, præter 35. alios minus certos. Ex hoc opere antiquiores Catalogos atque Orthographiam nominum haud raro correxi.

27 Binghami Origines Eccles. III. p. 416.

28 Cypriani opera p. 229.

Germaniciana nova.
Girba.
Gor. in Itinerario Antonini Coreva, juxta Harduinum Prov. Procons.
Gurgetes, Gurgaita, forte Pagus Gurzensis.
Hippo Zarytus, v. Diarrhytos, v. Libera.
Horreæ Coelinensis.
Leptis minor.
Mactar Luperciana.
Marazana.
Membresa.
Migirpa.
Rucume.
Segermi, v. Segermæ.
Sicca.
Sicciliba.
Sufes.
Suffetula.
Tabalta.
Tabraca.
Thambai.
Telepte.
Thenæ.
Thibaris.
Thuccabor.
Timida Regia.
Tinnisa.
Tuburbis.
Tuburnica.
Tucca.
Victoriana.
Utica.
Uthina.
Leptis magna Tripolitana.
Neapolis Tripol.
Oea Tripol.
Sabrata Tripol.

NVMIDIA.

Amadera.
Bammacurra.
Badæ.
Bagai.
Burruch.
Castra Galbæ.
Cedia.
Cirtha.
Cuiculum.
Gazaufala.
Gemellæ.
Girumarcelli, v. Marcelliana.
Hippo Regius.
Lamasva, quæ et Lamasba.
Lambese.
Lares.
Macomada.
Mascula.
Midila.
Mileum, v. Milevum.
Muzuca, v. Muzula.
Octabum.

Russicada.	Tubuna.
Tabraca.	Vaga.
Tamagada.	Vicus Cæsaris, v. Noba Cæsarea.
Tarasa.	Ululæ.
Tebeste.	Zama.

MAVRETANIA.

Bilta.	Nova, v. Noba Cæsarcensis.
Burug. deinde Burca.	Obba, v. Bobba, Tingitanæ.
Ida Cæsarcensis probabiliter eadem quæ Cypriano Epist. 23. Bidda.	Tucca Sitifensis.

Haud vero omnes Episcopos Carthaginem convenisse, vel ex eo patet, quod ipse Cyprianus initio Concilii literas Jubaiani Coëpiscopi absentis de baptismo hæreticorum, ad quem quoque plures litteras dedit superstites, recitari jussit. Cujus vero Jubaianus hic urbis fuerit Episcopus, plane ignoramus. Aliam de hoc Concilio una cum 66 episcopis Cyprianus dedit epistolam ad Fidum (ep. 64. p. 158.) incertæ urbis, quæ tamen haud procul a Bulla Provinciæ Proconsularis dissita videtur, Episcopum. Neque desunt aliæ urbes, quæ Cypriani jam tempore suos habuerunt Episcopos, v. c. *Scillitana* illa jam commemorata, a Martyribus suis nobilis, licet in Actis Concilii ejus Episcopus haud legatur, et *Suturnicensis*, cujus Episcopus fuisse videtur *Repostus*, qui a partibus Privati stetit[29].

---

29 Cypriani Epist. 59. p. 133.

CAP. VII.

AEDES CHRISTIANORUM SACRÆ. COEMETERIA.

1. De ædibus sacris Christianorum Afrorum prisca illa ætate nil certi constat, nihilque traditur quod a consuetudine cæterarum Ecclesiarum per Europam atque Africam conditarum discrepet. Basilicæ illæ Carthaginienses, in quibus sepulta legimus Martyrum Scillitanorum atque S. S. Perpetuæ et Felicitatis corpora, serioris certe sunt ætatis. Cyprianus enim in libro ad Demetrianum p. 190. dicit: *Dei altaria vel nulla sunt, vel occulta;* unde patet, ejus adhuc ætate Christianos Afros nulla habuisse publica templa, sed privatas tantummodo ædes, in quarum ὑπερῴοις rem divinam facerent. Illis vero cum verbis subobscurus locus in libro contra Valentinianos c. 3. pugnare videtur, ubi auctor *suæ columbæ domum* absconditis lucifugisque horum hæreticorum locis sacris opponit, eamque *simplicem in editis semper et apertis et ad lucem* asserit. Quæ autem verba posteriorem Cypriano ætatem indicare videntur[1]. Hi vero loci Christianorum sacri in urbibus vicisque extitere, ut occasio tulit: in urbibus passim commodiores, in vicis, ut *Mappalia* Afrorum[2], atque templum *in extrema Cyrenæorum ora* apud Sulpicium Severum Dialog. I. c. 2. *vilibus tectum virgultis.* Nomina occurrunt apud Tertullianum: *Domus columbæ* (adv. Valentinianos c. 3. (si revera hujus libri auctor est habendus) *Domus Dei* (de pudicitia

---

1 Addit: *Amat figuram Spiritus Sancti, orientem Christi figuram.* Sensum haud assequor. Junius et Binghamus (Origg. et Antiqq. Eccles. Vol. III. p. 116.) figuram Spiritus Sancti de igne et luce intellexerunt. Oriens Christi figura fortassis ædem versus orientalem plagam exstructam indicabit. Cf. Schöne Geschichtsforschungen über die kirchlichen Gebräuche und Einrichtungen I. p. 298. In editis locis Synagogæ quoque Judæorum exstructæ leguntur.

2 De Mappalibus v. Casselii Exercitat. de Tuguriis Maurorum, Mapalia et Magalia dictis. Magdeb. 1736. Nominis ducit etymon a radice Arabica فلح *dissecuit, concidit;* unde Syriace et Chaldaice, *colere, operari, laborare,* ita ut מפלח sit *agricolæ tugurium,* in cujus vicinia terram colit. Sic quoque magnus Bochartus Phaleg et Canaan p. 733. Modo Maurorum lingua eadem fuerit cum Punica! qua de re valde dubito.

c. 7.) *Ecclesia* passim, inprimis de corona militis c. 3. Notandum vero, Tertulliani locos nonnullos hocce nomen exhibentes intelligi posse de ipso fidelium coetu. Attamen ea, quæ loco laudato habet, facilius intelligenda sunt de æde sacra[3], licet haud opus sit ut statuamus, eam in vulgus notam fuisse. Eodem quoque sensu accipienda sunt ea, quæ de pudicitia c. 13. habet, de *fletu prostratorum* agens, precesque eorum indicans, quibus fideles ecclesiam intrantes exorabant. *Dominicum* (*κυριακόν*) de æde sacra legitur apud Cyprianum (de opere et eleemos. p. 203.) *Templa* vero hasce ædes non lubenter appellabant[4]; nomen quidem Ethnicis solemne, ideoque a Christianis spretum. *Ara Dei* metaphorico tantummodo sensu apud Afros legitur[5]. Illa scilicet ætate mensæ oblationum admodum raro aris, in quibus thura adolebantur hostiæque immolabantur, a Christianis compositæ fuerunt. Unicum forte extat exemplum in Cypriani epist. 70. p. 190. ubi Eucharistiam et Chrisma *in Ara* dicit *consecrari*. Idem hic auctor habet *pulpitum* vel *tribunal ecclesiæ*, ex quo allocutiones ad populum fiebant (ep. 37. et 39. p. 75. et 77.) Luminaria interdum in ipsis ædibus sacris accendebantur ipso sole lucente; quo ritu gaudium Christianorum de clara evangelii luce symbolice exprimebatur; improbante vero Tertulliano[6]. Grassantibus vero persecutionibus Christianos Afros in occultis quoque locis convenisse, ex eo patet, quod schismatici Carthaginienses a sua communione *in monte*

---

3 *Denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius* IN ECCLESIA *antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo et pompæ et angelis ejus.* et de Idolo. c. 7.

4 Cypriani de idolor. vanitate p. 13. 15. *Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam?*

5 De orat. c. 14. *Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris?* alludens, inquit Semlerus in Indice Latinitatis Tertullianeæ, ad stationes, utitur proprio sacrorum verbo. Stare ad aram dicitur dedicatum animal, victimæ patiens . . . . . Sic quoque L. I. ad uxor. c. 7. *Aram Dei mundam proponi oportet,* sc. hominem Christianum. Loco vero supra citato Ara Dei videntur esse ordinis ecclesiastici Præsides, qui ecclesiæ vota ad Deum perferunt. *Altare* quoque commemoratur, sed metaphorico sensu v. c. de orat. c. 10.

6 Schöne Geschichtsforschungen I. p. 204. locum vero Tertulliani reticet.

arcuisse dicantur eos qui cum Cypriano communicarent[7], qui loci *antra* quoque appellati fuisse videntur, et forsitan *aulæ*. Sic Commodianus Instructione XIII. 3.

In silva manere quæris, ubi latro moratur.
Tu dicis, ego Dei sum, et foras aberras.
Ingredere jam nunc toties invitatus in aulam.

Nisi aula imago saltem est, e verbis Christi Joh. X. 1. 16. petita.

2. *Coemeteria*[8] præterea Christianis quodammodo erant templa, inprimis persecutionis tempore. In Actis enim Passionis Cypriani de edicto Valeriani legitur: *Jussum est, ut nulla conciliabula fiant neque Coemeteria ingrediantur*[9]. Hæc autem Coemeteria, quæ *areas* etiam vocarunt, Tertulliano florente Christianis erant propria, et a locis sepulturæ Gentilium distincta. Nam, verba sunt Tertulliani ad Scapulam c. 3. de Hilariano Præside, Christianorum persecutore: *Hilarianus præses areis nostris acclamavit: areæ non sint:* quod quidem jubere haud potuisset, ni Christiani peculiares jam habuissent. Quam ob rem cultus Deorum participes habebantur ii, qui corpora defunctorum suorum in sepulcra Ethnicorum, apud quæ Ethnica superstitio se quam maxime exserebat, inferrent. Postulavit enim Cyprianus Martialem Episcopum Hispaniensem de idololatria, et hac quoque de causa, quod filiorum suorum cadavera *apud profana sepulcra deposuisset,* Epistol. 67. p. 173. Unde quoque factum, ut qui sacra Christiana amplexi essent, *jus ollarum*, h. e. locum in sepulcretis, ubi urnæ cinerariæ reponendæ essent, venderent: cujus consuetudinis, a legibus Romanis plerumque[10] prohibitæ, singulare extat testimonium in inscriptione apud

---

7 Cypriani ep. 41. p. 80.

8 Vocem habet Tertullianus de anima c. 51. Est vero Christianæ originis, quam explicat Chrysostomus Tom. V. homil. 81. p. 563. *ὅτι οἱ τετελευτηκότες καὶ ἐνταῦθα κείμενοι οὐ τεθνήκασιν, ἀλλὰ κοιμῶνται καὶ καθεύδουσι.* Cf. Svicerum. Vix ante Tertullianum apud Scriptores ecclesiasticos occurrit.

9 Ruinart Acta Martyrum p. 216.

10 *Pura* monumenta vendi potuerunt, *religiosa* haud item. Religiosum vero locum unusquisque sua voluntate fecit, dum mortuum inferret in locum suum: puri contra loci erant, qui neque sacri neque sancti neque religiosi essent, quum nullum in iis corpus conditum fuerit. Cf. Gutherium de jure manium p. 424. 425. 441.

Muratorium Thesaur. Inscr. Tom. III. p. 1668. 6. ubi FAVSTVS ANTONIAE DRVSI libertus IVS EMIT IVCVNDI CHRESTIANI OLLarum[11].

Christianorum illa sepulcra Cypriani ætate visitari solita fuisse, discimus ex Pontio ejus Diacono et biographo; et procedente ætate *Martyria,* Latinis *Memoriæ* dicta, obvia fuisse in agris, Augustinus perhibet, de civit. Dei XXII. 8. sicut quoque Canon. 14. Concilii V Carthaginiensis, qui *evertere* jubet *altaria passim per agros aut vias constituta, in quibus nullum corpus aut reliquia Martyrum condita probantur.* Neque defuere in urbibus; habebantur maxime Carthagine, ubi quoque Memoria Cypriani: quæ vero omnia, quum sint posteriorum temporum, missa facimus.

CAP. VIII.

ADUMBRATIO PRISCÆ HIERARCHIÆ ECCLESIÆ AFRICANÆ.

I. LIBERTAS ECCLESIÆ AFRICANÆ.

1. Tertullianus nondum illam fovit sententiam, quam deinde Cyprianus amplexus est suaque auctoritate commendavit firmavitque, *unitatem Ecclesiæ externam in externa cum iisdem Episcopis consistere, quum Episcopus sit in Ecclesia et Ecclesia in Episcopo, ita, ut qui non habeat cum Episcopo communionem, neque habeat cum Ecclesia* (Ep. 66. p. 168.) Tertullianus vero de monogam. c. 7. *Christianos sacerdotes esse a Deo vocatos,* asserit, et *pristinam Dei legem eos tunc in suis sacerdotibus prophetasse,* h. e. Sacerdotium particulare Judaicum typum esse sacerdotii Christiani universalis [1]. Ita quoque de exhort.

---

[11] Jus Ollarum in Inscriptionibus commemoratur. Hujus generis duas æri incisas exhibet Barbaud: Recueil de divers Monuments anciens repandus en plusieurs endroits de l'Italie (Romæ 1770.) fol. p. 24. Pl. 28. Aliam dat D. Jos. Cajot, Benedictinus, in libro: les antiquités de Metz (Metz 1760.) p. 113.

[1] Neandri Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des Christlichen Lebens. I. in Dissertatione: das Christliche Leben der drei ersten

castitatis c. 7. docet: *ubi tres* (Matth. XVIII. 20.) *Ecclesia est, licet laici; unusquisque enim de sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum; quia non auditores legis justificabuntur, sed factores, secundum quod et Apostolus dicit.* Et proxime antecedentibus verbis: *ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus: et, nonne et laici sacerdotes sumus?* (ibid. respectu habito Apocol. I. 6.) unde quidem patere videtur, eum omnibus Christianis jura sacerdotalia tribuisse. Quæ vero, licet scripta sint a Tertulliano Montanista, ideoque sacerdotium Christianorum spirituale magis premente quam Catholici [2], a doctrina Catholicorum illius temporis haud plane aliena videri possunt, inprimis quum ex iis constet, doctorem Afrum de casu necesitatis loqui, ubi desint religionis ministri rite vocati atque ordinati [3]. Septimius enim noster, quo melius regatur Respublica Christiana, in loco mox adlato discrimen ponit inter *Ordinem* et *Plebem. Differentiam* inquit l. l. *inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus; adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, etc.* Quæ quidem verba, quatenus de honore ordinis agunt, egregie illustravit Boehmerus in Diss. Juris eccles. antiqui Dissert. VII. ex usu loquendi fori Romani, quem Tertullianus Jure Consultus, ubi de rebus ecclesiasticis disseruit, secutus est. Docet vero antecessor Halensis, Tertulliani mentem huc redire: *differentiam inter ordinem ac plebem constitutam esse ex decreto Ecclesiæ*, quo nimirum decreto ordini sit collatus *honor* h. e. *munus ecclesiasticum cum aliqua dignitate. Ordo* quidem vox est de Magistratibus Romanis sæpe usurpata; honor vero indicat munus sanctificatum per hujus ordinis consessum, quo ordo distinctus erat a plebe. Superest tamen ut explicetur quo sensu Tertullianus vocem *Ecclesia* accipiat, an ita sit intelligendus, ut ejus decretum divinæ institutioni quodammodo opponat, et Clericorum jus, haud quidem divinum, mere humanum esse statuat? Quæ quidem paullo

---

Jahrhunderte p. 180. sequ. Ejusdem Kirchengeschichte I. p. 298.

2 Noesselt de vera ætate scriptorum Tertulliani Dissert. III. p. 15.

3 Cf. Hugonem Grotium de administratione S. Coenæ, ubi Pastores non sunt. (Opp. Theolog. IV. p. 505.)

difficilior est quæstio, quum jam de communi omnium Christianorum sacerdotio, jam de sacerdotio Episcoporum et generatim Ordinis bifariam disputare videatur. Sunt quidem viri docti qui statuant, eum non de omnibus laicis universe, sed de *spiritualibus et prophetiam habentibus*, h. e. *Montanistis* loqui, qui soli essent veri sacerdotes [4]. Attamen, quum hi Ordinem Episcoposque haberent, qui ipsorum coetibus præessent, vix inducar ut mihi persuadeam, eos omnibus qui iis adhærerent jus rem sacram faciendi concessisse [5]. Cardo autem rei versatur in significatione vocis *Ecclesia* penes auctorem nostrum, quam quidem optime assecutus mihi videtur Rev. Episcopus Lincolnensis [6]. Hic enim, quum Tertullianum ipsum inducat loquentem [7]: *Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit,* luculenter ostendit, Afrum omnem ecclesiæ doctrinam omniaque ejus decreta per Apostolos Christumque a revelatione divina derivare; et si forte dubites, an ista revera sint verba Tertulliani, quum post cap. 36. legantur, habes alia ejus effata cum hisce plane consentanea; inprimis cap. 20., quo omnis traditionis ecclesiasticæ origo ordine recesetur. *Christus enim Dei filius patris voluntatem administravit; quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat .... duodecim præcipue (discentes) suo lateri adlegerat, destinatos nationibus magistros .... hos regrediens ad*

---

4 Cf. Neandrum Geist des Tertullianus p. 204. qui Tertullianum in limite inter duas epochas Christianas veluti positum, in diversas abire partes, et jam ex mente antiquissimæ ecclesiæ omnibus Christianis jura sacerdotalia tribuere, jam eadem ex sententia, quæ seculo secundo prævalere coepit, quum prima Hierarchiæ fundamenta ponerentur, restringere statuit. Contra vero priorem assertionem disputantem vide Episcopum Lincolnensem Præf. p. XVIII. et cap. IV. p. 223. Fuisse tamen nonnullos qui hoc revera statuerent, ex cap. 12. de monogamia suspicari licet.

5 Sic Augusti Denkwürdigkeiten der christlichen Archäologie VII. p. 194. qui a p. 192. inde historiam controversiæ de hac re inter Catholicos et Protestantes exitatæ persequitur.

6 The ecclesiastical history of the second and third centuries illustrated from the writings of Tertullian p. 229. sequ.

7 De præscr. hæreticor. c. 37.

patrem jussit ire et docere nationes tingendas in Patrem et in Filium et in Spiritum Sanctum .... Hi .... consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judæam ... ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt. Et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputabantur, ut soboles Apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot et tantæ ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ et omnes Apostolicæ, dum una. Omnes probant unitatem[8].

Ex hisce igitur Tertulliani verbis aperte sequitur, eum ecclesiæ decreta haud minoris æstimasse quam Apostolica, quippe quæ ab Apostolis per traditionem essent derivanda, atque omnia ab ecclesia instituta juris esse divini: atque cum Ecclesia differentiam posuerit inter Ordinem ac plebem, hanc quoque censendam esse Apostolicæ, immo divinæ originis. Attamen haud negaverim, eum inprimis, postquam Montanista factus erat, spirituale Christianorum sacerdotium magis pressisse; sed verba ejus, de exhortat. castit. c. 27. supra allata, quibus Laicis jus sacramenta administrandi tribuit, de casu tantummodo necessitatis intelligenda esse[9], equidem persuasum mihi habeo, lubensque concedo.

Quod vero Episcopos attinet, eos Tertullianus, ut generatim *sacerdotum* nomine usus est, (de exhort. castitatis c. 7.) summos dicit *sacerdotes* (de baptismo c. 17. de pudic. c. 1.) ex instituto nimirum Mosaico. Namque sacerdotium Aaroniticum ad Christianos transiisse, primus inter doctores Christianos, si locos incertos in scriptis Patrum Apostolicorum obvios demamus, expressis verbis asseruit, licet fortassis jam ante ejus ætatem harum notionum semina in ecclesia Africana sparsa fuerint[10].

---

[8] Cf. quoque cap. 32. et 36. ubi similia, et de virgin. veland. c. 2. ubi morem velandarum virginum ex consvetudine ecclesiarum ab Apostolis virisve Apostolicis conditarum deducit.

[9] Cf. quæ de baptismo habet, de bapt. c. 17. de monogamia c. 12. et Episc. Lincoln. p. 351. sequ.

[10] Neanders Geist. des Tertull. p. 203.

2. Nihilo tamen secius in Africano coetu populus omnium negotiorum ecclesiasticorum habebatur particeps. *Præsident,* inquit Tertullianus Apol. c. 39. *probati quique seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti;* inde patet, Clericos una cum senioribus populi ecclesiam rexisse. Idem hoc habet Purgatio Felicis et Cæciliani in epistola Purpurii Episcopi Numidæ [11]. *Adhibete conclericos et seniores plebis ecclesiasticos viros, et inquirant diligenter, quæ sint istæ dissensiones.* Ipsa vero Purpurii Epistola ad Christianos Cirthenses sic inscriptum habet: *Clericis et senioribus Cirthensibus in Domino æternam salutem* [12]. Eadem hæc populi jura lubens agnovit Cyprianus: sic de lapsis ep. 16. p. 38. *Acturi et apud nos confessores ipsos et apud universam plebem causam suam.* Consule præterea ep. 17. Ipsi porro populo *potestatem concedit eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi* (ep. 67. ad Clerum populumque Hispan. p. 170.) [13]. Quæ quidem omnia, licet reliquæ ecclesiæ haud ignota, disertius tamen a patribus Africanis expressa leguntur, inque Africana Ecclesia diutius viguerunt. Namque ipsum laicorum docendi jus, seculo jam tertio in Aegypto impugnatum, quum Demetrius Alexandrinus Palæstinensibus Episcopis crimini verteret, quod Origeni nondum ordinato jus concionandi tribuissent, *quum nunquam adhuc visum nec factum sit, ut præsentibus Episcopis laici concionarentur* [14], in Africa per totum fere sec. IV. perseveravit, et primum in Synodo Carthag. IV. anno 398 celebrata restrictum fuit canone 98. *Laicus præsentibus Clericis, nisi illis jubentibus, docere non audeat* [15]. Hinc nil mirum, si Tertullianum videamus modeste de

---

11 Optati Millevitani Opera. ed. Dupin. p. 169.

12 Seniores hosce plebis, licet viris ecclesiasticis adnumerarentur, a Clero tamen distinctos fuisse, docuit Neander Kirchengeschichte I. p. 309. Cf. quoque Binghamum I. p. 303. Ipsum nomen passim in Germania atque Dania servavit ecclesia Evangelica, hujusmodi homines *Älteste, Ældste,* vocans.

13 Ziegleri Versuch einer pragmatischen Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den sechs ersten Jahrhunderten der Kirche p. 29. et 49. Idem jus coetui Romano competiisse, inter plura testimonia patet ex epistola Cypriani 68.

14 Euseb. Hist. Eccles. VI. 19.

15 Labbei Concil. II. p. 1207. Attamen dubia sunt multa in hoc Concilio; vide Walch. Hist. der Kirchenvers. p. 242.

auctoritate Episcoporum sentientem, neque omnia iis jura, quæ Apostoli habuissent, tribuentem; verum potius docentem, ea, quæ Apostolis extra ordinem a Deo per donum quoddam singulare data et concessa fuissent, Episcopos sibi vindicare non posse[16]. Longe vero aliter Cyprianus, auctoritatis episcopalis propugnator. epist. 3. 4. 33. etc. qui Episcoporum jus Apostolico æquiparare, eosque in omnibus esse Apostolorum successores contendere haud dubitat, ep. 45.; quam quidem sententiam fere perpetuo ingerit. Ideo ipsum Apostolorum quoque nomen eis tribuit. ep. 3. *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos et Præpositos, Dominus elegit.* Sic itaque brevi 30 aut 40 annorum inter Tertullianum et Cyprianum interjecto temporis intervallo, in libera illa Africa semina Hierarchiæ, diu in ecclesia latentia, fructus tulerunt procedente ætate ipsi ecclesiæ perniciosissimos.

3. Illam vero quam diximus muneris sui prærogativam Episcopi Africani perpetuo exercuerunt, neque unquam a Primatibus minui vel infringi passi sunt. Cyprianus ejus frequenter meminit. In Concilio Carthaginiensi aperte quid sentiret professus est. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum Episcoporum se constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium; tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare.* Hæc igitur libertas altas in Ecclesia Africana a prisca inde ætate egerat radices, et non in nudis tantum ritibus et cæremoniis, sed in diversis iisque satis gravibus disciplinæ ecclesiasticæ capitibus versabatur, v. c. in quæstione de rebaptizandis hæreticis, de admissione adulterorum in communionem ecclesiasticam, de reconciliatione lapsorum, de validitate baptismi clinicorum. In quibus rebus Cyprianus, quamvis aliter existimaret atque decerneret ac Collegæ, nullam tamen in eos sibi arrogavit potestatem, sed ununquemque officii sui rationem Deo reddere passus est. Quam diverse ab arrogantia illa, cujus Episcopi Romani mature admodum rei facti sunt! Quæ

Hoc vero certe tenendum videtur, canones, sub ejus nomine vulgatos, esse Africanos et hujus ætatis.

16 Boehmer p. 210.

vero, quum ad Cypriani ætatem pertineant, heic tantum nobis, infra CAP. XIX. de reconciliatione lapsorum, et CAP. XXV. de admissione moechorum ad communionem ecclesiasticam, de qua ante ejus Episcopatum quæsitum fuit, acturis, de reliquis ad Binghamum[17] lectores remittentibus, verbo attigisse sufficiat. Hoc unum addidisse haud erit supervacaneum, concilia provincialia antiqua ætate conciliis Carthaginiensibus a Primatibus coactis, quæ generalia dici possunt, quantum ex Cypriano colligere licet, neutiquam subordinata fuisse[18].

CAP. IX.

CONTINATIO. 2. PRIMATES.

1. Carthago, nisi omnia fallunt, prima erat urbs, in qua fundamenta Ecclesiæ Africanæ ponebantur. Ex hac deinde metropoli credendum est processisse præcones Evangelii per reliquas urbes ab Episcopo cæterisque, qui rem ecclesiasticam moderabantur, missos. Hinc explicanda est Episcopi Carthaginiensis omnibus reliquis Africæ Episcopis major auctoritas, qui, licet primis ecclesiæ seculis altiore honoris titulo, Archiepiscopi, Metropolitani, Exarchi, v. Patriarchæ[1], quem reliqui majores Episcopi assumserant, mactatus haud fuerit[2], re ipsa tamen

---

17 Orig. Eccles. 1. p. 121. sequ.

18 Ziegler Gesch. der kirchl. Verfassungsformen p. 145.

1 *Patriarchæ* nomen primus in Africa usurpavit Cyrila, Carthaginis Episcopus Arianus sub Vandalorum imperio. Victoris Vitensis Lib. II. de persecutione Vandalica c. 18.

2 Attamen seculo IV. adfectasse videtur. Concilium enim Carthaginiense an. 397. celebratum canone 26 cavit: *ut primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Labbei Concilia Tom. II. p. 1171. Episcopatui Carthaginiensi illo tempore præfuit Aurelius. Morcellus Africæ Christ. Vol. II. p. 330. hunc canonem referens, se putare dicit, hoc placuisse Patribus Concilii, ut Donatistarum fastum detestarentur. Donatum enim eorum Episcopum Carthaginiensem *Primum Episcoporum* audivisse (Optat. de schismate

pari dignitatis gradu cum Romano, Antiocheno, Alexandrino, Hierosolymitano, nec non cum Ephesino, Cæsareensi Cappadociæ, Heracleensique Thraciæ, a Constantinopolitano postea subactis, inter reliquos eminuit[3]. Et primo quidem tempore usque ad Agrippinum unicus fuisse videtur Ecclesiæ Africanæ Primas. Nam Cyprianus in epistola 71. ad Quintum Mauretaniæ Primatem p. 196. mentionem facit Concilii ab Agrippino celebrati his verbis: *quod quidem Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coëpiscopis suis, qui illo tempore in Provincia Africa et Numidia ecclesiam Domini gubernabant, statuit, et librato consilii communis examine firmavit.* Ea vero, quæ ex hisce Carthaginiensis Episcopi verbis colligere licet, huc fere redeunt. Primo: nullos in hoc concilio adfuisse Episcopos Mauretanicos, quorum certe mentionem in epistola ad Primatem ejusdem hujus provinciæ facere minime neglexisset. Secundo: Africam Proconsularem et Numidiam Agrippini tempore unam constituisse Provinciam sub Episcopo Carthaginiensi, unico totius Africæ Primate.

2. Mox vero auctus est Primatum numerus. Nam vix elapsum est dimidium seculum inter Agrippinum et Cyprianum, ex quo tres Africæ *Primates* (Primi, Primarum sedium Episcopi)[4] innotescunt: major quippe Carthaginiensis, qui metropoleos sedisque suæ prærogativam semper tuitus est, primique ordinis fuit Primas, alter Numidiæ, tertius denique Mauretaniæ. Itaque, licet accurate definiri nequeat, quo tempore Ecclesia Africana novum Mauretaniæ Primatem acceperit, probabili tamen conjectura assequi possumus, factum id esse brevi ante Cyprianum tempore. Nullum vero vestigium reperimus duorum, quos Mauretania

---

Donatist. III. c. 3.) Sed si hæc fuisset canonis ferendi causa, eam patres concilii expressis verbis indicassent. Hicce præterea canon primum latus fuisse videtur in Concilio Hipponensi anno 393. habito, deinde repetitus in Carthaginiensi tertio. cf. Fuchs Bibliothek der Kirchenversammlungen des IV. und V. Jahrhundert III. p. 67. 80. ubi canon habet numerum 25.

[3] De Primate Carthaginiensi ejusque juribus ante et post Cyprianum v. Coroli a S. Paulo Geogr. sacram p. 81. Dupinium in Geogr. Africæ sacra, Optati Millevitani libro de schism. Donatistarum præmissa p. 26. et Ziegleri Gesch. der kirchl. Verfassungsformen p. 158.

[4] Leideckeri historia ecclesiæ Africanæ illustrata. Append. p. 4. Cyprianus ad Cornel. ep. 48. p. 91.

deinceps habuerit, Primatum: neque cogitari potest, unum antiquiori illo tempore regendæ illi provinciæ, in qua tantummodo paucæ conditæ erant ecclesiæ, haud suffecisse. Loquitur quidem Cyprianus ep. 73. de conventu Episcoporum, tam *Provinciæ Africæ quam Numidiæ*, propter controversiam de baptismo hæreticorum; inde vero nihil aliud colligi potest, nisi hoc, primo quidem, anno 255. convenise Episcopos Carthagini propiores, deinde vero, anno 256. ex universa Africa, in quibus fuerunt quoque Mauretanici. De iis jam videndum, eorumque jura exponenda; quamquam haud ubique temporum ratio habenda erit, quum inter ea quæ ante et quæ post Cyprianum obtinuerunt haud ubique satis accurate distinguere liceat[5]. Scilicet: *Carthaginiensi Episcopo* universalis in res ecclesiasticas, deficiente Episcoporum auctoritate, competebat Episcopia totiusque Africæ visitandæ jus. In litibus de primatu reliquarum Provinciarum exortis ferebat sententiam, Episcopos atque Presbyteros ex omni Africa ordinandi habebat facultatem, si nimirum a coetibus ad hoc officium requisitus esset, ac simul jus in synodo agendi de iis, qui suam auctoritatem recusassent, ut loco moverentur. Convocabat porro Concilium Africæ universale, cui præsidebat, cujus decreta exequebatur, atque litteris suis synodicis cum reliquis ecclesiis communicabat. Ab eo, quæcunque Ecclesiæ Africanæ nomine per epistolas agenda essent, agebantur; ad eum cæterorum Primatum ad Ecclesiam Africanam epistolæ dabantur. Ipse vero non ab iis sed a suæ Provinciæ Episcopis consecrabatur, quia non auctoritate tantum sed sedis suæ etiam antiquitate eminebat: unde quoque, quomodo Ostiensi suburbicario Romæ [6], ita propinquioribus Provinciæ Africæ Proconsularis Episcopis antiquitus jus Primatis sui consecrandi perpetuo mansit.

Hisce juribus adeo eximiis Episcopo Carthaginiensi concessis, mirum haud foret, si cui pro humanæ naturæ fragilitate majora sibi adhuc arrogare in mentem venisset. Cujus quidem rei vestigium forte deprehenditur in libro Tertulliani de pudicitia c. I. *Audio, edictum esse propositum et quidem*

---

5 Cypriani Epist. 48. 71. 73. Thomassini Vetus et Nova Eccles. Disciplina P. 1. Lib. I. c. 20. Ziegler Geschichte der kirchl. Verfassungsformen p. 141.

6 Augustini Breviarium Collationis tertio die. can. 16. et epist. 165. Dupin de antiqua eccles. discipl. p. 61. 64.

peremtorium: Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum, dicit: ego et moechiæ et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto. Quæ quidem Pamelius, eruditus Tertulliani editor, adstipulante Boehmero[7], de Romano Episcopo intelligit, cujus tamen nulla in Africanam Ecclesiam fuisse jura constat. Rectius, ut mihi quidem videtur, alii ironice et per sarcasmum dicta statuunt de Africano aliquo Episcopo[8]: nec facile alius hoc *Episcopi Episcoporum* scommate in Africa pungi potuit quam Carthaginiensis[9]. Sed quis hic fuerit, utrum Agrippinus, si is ad annum 216. quo ex Schützii atque Nösselti sententia Tertullianus librum de pudicitia scripsit[10], vitam protraxit, an successor ejus, definiri nequit. Neque de ipsa re judicare licet; nam Tertullianum, quum de pudicitia scriberet, Montani placita amplexum fuisse constat; unde factum, ut incitatiori esset animo

---

7 Dissert. Juris Eccles. p. 24. Sic quoque inter recentiores Neander, Kirchengeschichte I. p. 340. Brennerus, katholische Dogmatik I. p. 181. et Binterim die vorzügl. Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche III. p. 90. Habet is lectionem: *Zephyrinus, Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum, dicit.* Nescio in qua Tertulliani editione hoc Zephyrini nomen invenerit.

8 Sic Juvenalis illud Sat. IV. 45. 46. *Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister Pontifici summo*, ironice dictum est. Vid. Crameri in Juvenalis Satiras commentarii vetusti pag. 129. Huic sententiæ favere videtur Cypriani illud in Concilio Carthaginiensi: *neque enim quisquam nostrum* (sc. Episcoporum Afrorum) *se Episcopum Episcoporum constituit.*

9 Mecum consentientem habeo P. Allix D. de Tertulliani vita et scriptis p. 71. Procedente tempore eodem titulo alios quoque salutatos fuisse Episcopos, licet rarius, ipsosque Imperatores, docet Routh Rel. Sacr. III. p. 153. Ceterum Episcopos Carthaginienses *bonos pastores et benedictos Papas* vocatos fuisse, patet ex loco Tertulliani de pudicitia c. 13. Ipse Cyprianus salutatur Papa in epistola Cleri Romani 8. 23. 31. 36. quo vero nomine quemlibet Episcopum olim appellatum fuisse constat. v. Binghamum I. p. 76. Complures verbi causa extant Epistolæ Hieronymi ad Augustinum Hipponensem, quem semper Papam vocat. Accessit deinde sec. VI. *Apostolicæ dignitatis* et *Apostolatus* nomen, quo Bonifacium Episc. Carthaginiensem salutatum legimus anno 525. Thomassin I. 1. c. 4.

10 In Præfatione Tomi V. editionis Semlerianæ p. 7. et Nösselti Dissertationes de vera ætate scriptorum Tertulliani. Dissert. III. p. 24.

in Catholicos, et quæcunque Episcopus Carthaginiensis cum Clero populoque suo de reconciliatione moechorum et fornicatorum contra hujus sectæ placita rigidiora statuisset, carperet et Episcopo ipsi vitio facile verteret. Quam longe vero Cyprianus abfuerit ab hujusmodi dominandi cupiditate, ipsa ejus ad Episcopos Carthagine in causa de baptismo hæreticorum congregatos verba, quibus Concilium aperuit, aperte commonstrant: *Neque enim quisque nostrum se Episcopum Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare*[11].

3. Incertus denique hæreo, an Cartaginiensi Episcopo antiqua jam ætate jus Paschatis constituendi tribuam, quod Alexandrino per totum Orientem competebat. Delatum quidem illi fuisse in Concilio Hipponensi anno 393. et in Carthaginiensi III. anno 397. celebrato, lego[12]; fortassis vero usus et consuetudo longe antiquior erat istis canonibus. Habet enim textus abbreviationum Concilii Hipponensis in Concili Carthaginiensi III. *Placuit etiam propter errorem, qui sæpe solet oboriri, ut omnes Africanæ provinciæ observationem diei Paschalis ab Ecclesia curent accipere*[13]. Et superest sane inter Cyprianica *Computus de Pascha,* licet spurius, satis tamen antiquus; unde quodammodo firmatur illa opinio, priscis jam Carthaginiensium Episcopis paschatis per Africam constituendi jus attributum fuisse[14]. Cujus quidem privilegii causa quærenda forte erit in controversia inter Asiatas et Romanos de tempore, quo Pascha celebrandum esset. Quum enim Alexandrinus Episcopus, cum Asiatis faceret[15], computus ejus ab Occidentalibus probari minime potuit:

---

11 Cypriani Opera p. 229.

12 Canon. 2. cf. Fuchs Bibliothek der Kirchenversammlungen der IV. und V. Jahrhunderts III. p. 68. et Ziegler l. l. p. 153. not. 58.

13 Schelstrate l. c. p. 175. Codex Afric. 34. Concil. Afric. 1.

14 Oelrichs Commentarii de scriptoribus Ecclesiæ Latinæ priorum sex seculorum p. 41.

15 Vide Epistolam Synodicam Concilii Cæsareensis apud Eusebium II. E. V. c. 35. Cf. Routh Rel. Sacræ I. p. 359. 362.

unde officium diem Paschalem quotannis ex computo astronomico constituendi in Africa Episcopo Carthaginiensi demandari facile potuit. Quod quidem, si ita est, Severo Augusto, et Agrippino Carthaginiensi Episcopo, constitutum esse crediderim.

4. Primates secundi ordinis *Numidiæ* et *Mauretaniæ*[16] vel eo a Carthaginiensi differebant, quod nullas haberent certas sedes; sed quod prima ætas ordinationis eos constitueret, qua de causa senes dicti sunt[17]. Procedente tempore principes sacerdotum et summi sacerdotes salutati sunt, quos vero titulos Concilium Carthaginiense III. sustulit can. 26. nec alium nisi *Primæ sedis Episcoporum* iis nomen concessit[18]. Præcipua eorum jura hæc erant: Synodos provinciales, si quæ prisca illa ætate habebantur, convocabant, eas moderabantur et legatos ad synodum universalem mittebant. Episcopos suæ provinciæ electos consecrabant, atque in eos dioecesesque eorum Episcopiam exercebant, eosque vel ipsi vel per Episcopos delegatos judicabant, salvo tamen horum apellationis jure ad Synodum Provincialem. Sicuti vero Synodis, ubi sententias eæ tulerint, obnoxii erant, ita quoque ipsi, si auctoritate sua abuterentur, aut negligentes in officio deprehenderentur, loco a Synodo movebantur; id quod de Prisco Mauretaniæ Cæsareensis Primate narrat Augustinus ep. 261. Cæterum hæc plerumque ex historia temporum post Cypriani ætatem colliguntur. Attamen, quum ex natura atque indole ipsius, cui Primates præfecti essent, numeris atque dignitatis fluant, valde probabile est, ea vel pleraque eorum ab institutionis Primatum tempore valuisse[19].

---

16 Horum jura vide apud Zieglerum l. l. p. 157.

17 Ziegler l. l. p. 139. Nescio tamen an *Senum* nomen jam in Cypriano occurrat. Græcis eadem aliorum Metropolitarum prærogativa dicebatur *πρεσβεῖα*. Sic in canone sexto Concilii Nicæni: *Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις.* Sicut vero *πρεσβεῖα* de Primatibus, ita *ἀξιώματα* de Metropolitanis in Ecclesia Orientali usurpabatur.

18 Cod. Can. Eccles. Africanæ c. 39. Labbei Conc. II. p. 1181. ubi tantum: ut primæ sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur. Hicce canon legitur corpori Juris Canonici insertus D. 99. c. 3.

19 ibid. p. 157.

Provinciarum distributio, qua numerus earum auctus et Primas inferioris ordinis sub Carthaginiensi in ipsa Africa Proconsulari constitutus fuit, serioris est ætatis, sec. nimirum IV.[20]. Hoc denique addendum: peculiarem Numidiæ et Mauretaniæ Christianæ per *Senes*, quorum igitur sedes haud fixæ erant, quum tempus ordinationis Primatus jura tribueret, regendi morem haud plane ignotum fuisse in antiquissima ecclesia. Exemplum habemus in Asia minori: celebrabatur enim versus exitum sec. II. Synodus in Ponto ad dirimendam controversiam de Paschate, cui *ob senium* præfuit Palmas, Amastriensis Episcopus[21]. Unde major quoque certitudo accedit antiquitati hujus rei in Africana Ecclesia. Eandem ecclesiæ regendæ rationem invenimus in Hispanica, quæ Africanam imitata est. Ibi quoque *Primates* reperiuntur secundum primam ordinationis ætatem; quo factum, ut celeberrimæ Synodo Illiberitanæ anno 305. celebratæ Felix, urbis Acci in Tarraconensi Episcopus, præsideret[22].

CAP. X.

CONTINUATIO. 3. EPISCOPI.

1. Multos ab antiquo inde tempore Africa habuit Episcopos, quorum sub Agrippino 70. sub Donato 90. convenisse in Synodos, CAP. V. et VI. ostensum est. Hi non in urbibus solum sed in vicis quoque habitabant. Nam quamvis Cyprianus istos haud expressis verbis indicet, asserit tamen ep. 55. *jam pridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinatos fuisse Episcopos;* quibus verbis tacite innuere videtur, in vicis et agris, quippe qui partem quoque

20 Hanc exposuit Schelstrate p. 18. 23. vide quoque Leidekkerum L. 3. Append. p. 4. et Zieglerum p. 155.

21 Euseb. H. Eccles. V. 23. cf. Ziegler p. 140.

22 Labbei Concilia I. p. 969.

provinciæ constituant, fuisse Episcopos[1]; quam quoque sententiam a Planckio V. S. V. approbatam video[2]. Cave vero, ne eos cum *Chorepiscopis* Ecclesiæ Orientalis confundas. Hos enim, veri quidem nominis Episcopos, sed inferioris dignitatis et Episcopis urbium subjectos, Asia non novit ante sec. IV. quum in Conciliis Neocæsareensi et Ancyrano anno 314. habitis prima eorum fiat mentio; Occidens vero vix ante Concilium Rhegiense anno 439.[3]; Africa nunquam[4]. Eligebantur autem Episcopi, quos Tertullianus de corona milit. c. 3. *Præsidentes* appellat, forte quod in libro Ethnicis quoque destinato Episcoporum nomen divulgare noluit, a Clero et Populo. Sic enim Cyprianus, ep. 67. p. 172. ad Hispanos, post narrationem de Eleazaro Aronis filio sacerdotio initiato: *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit et ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, ut sit ordinatio justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata:* et post pauca: *Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de conversatione perspexit.* Eos Tertulliani ætate a Presbyteris fuisse distinctos, ex variis Tertulliani locis patet, licet haud accurate decerni possit, in quo discrimen præter jus ordinationes peragendi positum fuerit[5].

---

1 Boehmeri Diss. I. E. p. 302.

2 Geschichte der kirchlichen Verfassungen I. p. 77.

3 Knittelii Prisca ruris ecclesia p. 36. 51.

4 Thomassini vetus et nova Ecclesiæ disciplina P. I. L. II. c. 1.

5 Eadem certe fuit ratio in Africa, quæ in reliqua priscæ illius ætatis ecclesia valuit, quam seculo adhuc IV. indicavit Hilarius Pictaviensis in I. ad Timoth. c. 3. *Omnis Episcopus Presbyter; non tamen omnis Presbyter Episcopus; hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est.* Tertullianum autem Episcopale munus pro Apostolico instituto habuisse, patet ex ejus libro de præscr. hæret. c. 32. de fuga in persec. c. 13. sicuti quoque trium Ordinum, i. e. Episcoporum, Presbyterorum, atque Diaconorum semel atque iterum meminit. De fuga in persec. c. 11. de baptismo c. 17. nec impedit si de præsc. c. 3. de episcopo tantum et diacono loquatur, nam ordines h. l. haud accurate recenset: addit enim viduam, virginem, doctorem, martyrem. Haud

Ordinabantur vero Episcopi electi a Primatibus; et probabile est, eam regulam, quam Cyprianus ac reliqui Episcopi Hispanis ut ab Africanis servatam commendant, *ut ad ordinationes rite celebrandas Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique convenirent*, jam diutius in Africa valuisse, licet ordinationes a paucioribus factas haud dubie agnoverit Ecclesia Africana; quum antiqui canones tres tantum requirerent, neque illæ, quibus duo Episcopi et unus Presbyter vel unus saltem Episcopus interfuisset[6], invalidæ haberentur.

2. Episcoporum auctoritas arctis limitibus circumscripta erat, quum teste Tertulliano Apol. c. 39. non solum Presbyteri et Diaconi, sed *probati quique seniores in conventibus Christianorum præsideant, honorem istum non pretio sed testimonio adepti*[7] (vid. CAP. VIII.) qui una cum Episcopo cæterisque sacrorum ministris de rebus ecclesiasticis judicabant: *summumque*, eodem loco inquit Tertullianus, *futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegaretur. Præsident probati quique seniores etc.* Magis adhuc jura plebis extendit Cyprianus de lapsis epistola 16.: *acturi et apud Confessores ipsos et apud universam plebem caussam suam.* Sic quoque ep. 17. de iisdem lapsis, qui a Martyribus litteras commendatorias obtinuerant: *examinabantur singula præsentibus et judicantibus vobis.* Unde patet, in Africana Ecclesia summam obtinuisse, vel Cypriano, qui dignitatem Episcoporum adeo extulit, approbante, libertatem, ejusque regendæ formam democraticam, quam prisca Ecclesia habuit ab Apostolorum inde ætate, diutius in hoc orbis terrarum tractu perseverasse.

3. Et hos omnes Episcopos omnesque Christianorum Afrorum coetus immunes fuisse ab omni Episcopi Romani jurisdictione, non est quod multis probatum eamus. Hi certe fama acceperant Victoris Romani Episcopi in excommunicandis Asiæ minoris ecclesiis superbiam, nullo vero modo ipsius supremam

---

ita facile indicari posse, quomodo Presbyteri ab Episcopis distincti fuerint, docet quoque Episcopus Lincolnensis l. l. p. 234.

6 Bingham. I. p. 162. sequ.

7 Apolog. c. 39.

agnoverunt auctoritatem. Testem habemus Tertullianum. Magnam is quidem Ecclesiis Apostolicis tribuit auctoritatem[8] Romanamque magni facit, de qua dicit: *Unde nobis* (Africanis) *quoque auctoritas præsto est,* et felicem eam prædicat, *cui totam doctrinam Apostoli suo sanguine profuderunt*[9]. Petrum enim atque Paulum Romanam Ecclesiam fundasse, eique Episcopum præfecisse, cum Irenæo[10] concedit, *Petrumque ædificandæ ecclesiæ* PETRAM *dictum, Claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem* (Matth. XVI. 18. 19.) asserit[11]: in quibus quidem verbis notio quædam unitatis ecclesiæ Cathedræ Petri superstructæ procedente tempore haud difficulter inveniri potuit; in libro tamen de pudicitia c. 21. Petri prærogativam ipsi ejus personæ, tanquam *homini spiritali,* tantummodo adhæsisse, verba Domini de omnibus, qui *spiritales* essent, dicta statuit, accurate distinguens inter doctrinam et potestatem Apostolorum[12]. Nec alia in libro de præscriptionibus præcipit: namque ex ejus sententia omnes ecclesiæ, conservatrices doctrinæ primariæ, quam ab apostolicis illis ecclesiis, *matricibus et originalibus,* ut ait, *fidei,* acceperant, unam cum iisdem hisce apostolicam constituunt ecclesiam. *Itaque tot et tantæ,* inquit, *ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes*[13]. Unitatem igitur in consensu fidei, ideoque *ecclesiam esse, ubi tres, licet laici*[14], *nec esse numerum Episcoporum*[15], docet; nulla Episcopi Romani, quem præterea libr. adv. Praxeam c. 1. acriter carpit, facta mentione. Ne vero in illum errorem incidamus, omnia hæcce dicta esse a Tertulliano Montanista jam facto, eaque de causa Ecclesiæ Romanæ infenso, de Cypriani sententia videamus. Constat enim inter omnes Historiæ Ecclesiasticæ peritos, quam strenue hic Ecclesiæ Carthaginiensis, immo totius Africanæ antistes, quamvis unitatem ecclesiæ externam quam maxime urgeret, et in

---

8 De præscr. c. 20. 32.

9 Ibid. c. 36.

10 Adv. Hæres. III. c. 3.

11 Ibid. c. 22.

12 De pudicitia c. 21. cf. Neandri G. d. T. p. 338.

13 De præscr. c. 20.

14 De exhort. castitat. c. 7.

15 De pudicitia c. 21. Sic quoque de fuga c. 14. *non potes discurrere per singulos, sit tibi et in tribus ecclesia.*

communione externa cum Episcopis poneret[16], atque dignitatem Episcopi Romani a Petro derivaret, qua quoque de causa Ecclesiam Romanam *principalem* dixit, *unde unitas sacerdotii exorta* sit[17], Stephano R. E. restiterit in quæstione de baptismo hæreticorum, et quam parum ei cesserit, quum vel verba Christi ad Petrum Matth. XVI. 17. 18. sibi æque ac Romano Episcopo dicta, de se æque ac de illo, ut Apostolorum successoribus, intelligenda esse statueret. Quin ipsum quod de legitima Cornelii in Episcopum Romanum electione habuit examen, missis duobus Episcopis, Caledonio et Fortunato[18], abunde docet, quam longe Ecclesia Africana abfuerit ab omni subjectione, et quam persuasum sibi habuerit, omnibus ecclesiis æqua competere jura. Hæc vero, quum res tangant extra limites quos nobis fiximus positas, lectores ad Leidekkerum ablegamus[19].

Ex hisce vero omnibus patet, Episcopum Carthaginiensem neutiquam fuisse Vicarium Romani, quam quidem assertionem Thomassinus jam refellit[20]. Neque ullas Ecclesia Africana Cypriani ætate ad sedem Romanam admisit appellationes[21]; nescio vero quo pacto Möhlerus asserat, Romanam Ecclesiam cum universa ecclesia Occidentali, cujus pars erat Africana, institutionem Episcoporum Orientalium communicasse, quo demum facto Ecclesiæ inter se communicaverint[22]. Hæc enim etsi Optatus Millevitanus de Ecclesia Romana dicat: *Cum ea totum orbem commercio formatarum in unam communicationis societate concordare*, minime sequi videntur ex verbis Augustini contra Cresconium Donatistam Libr. III. §. 38. ad quæ Möhlerus provocat: *ad*

16 Epist. 64. p. 168. et 33. p. 66.

17 Walch. Historie der Ketzereien II. p. 222.

18 Dissertatio secunda de libertate Ecclesiæ Africanæ.

19 Præloquium, quum synodum Carthaginiensem anno 256 aperiret. Opp. p. 229. ep. 59. p. 136.

20 Vet. et nova Eccles. disciplina Part. I. Lib. I. Cap. XX. 2. Edit. Mogunt. 1787. Tom. I. p. 146.

21 De antiqua Eccles. disciplina (Mogunt. 1788.) p. 116. cf. quoque Routh Rel. Sacr. III. 128.

22 Die Einheit in des Kirche, oder das Princip der Katholicismus dargestellt in Geiste der Kirchenväter der drei ersten Jahrhunderte (Tübingen 1825.) p. 269.

Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam ecclesiam Orientalem scribere. Utique scripsit, ut ex epistolis Firmiliani Cæsareensis Cappadociæ Episcopi, qui ipse eo tempore primatibus Ecclesiæ accensebatur, ad Cyprianum patet. Neque uspiam Carthaginiensem de ejus aliusve Episcopi electione vel consecratione a Romano certiorem esse factum legitur. Serioris igitur sint temporis oportet ea quæ Augustinus refert.

Unum hoc tantummodo monendum: Ecclesiam Africanam a primordiis inde cum Romana fraterni amoris vinculum servasse. Nam pietas illa, quæ per totum veterem orbem coloniarum erga metropoles observabatur, a coloniis Christianis minime neglecta est. Tot præterea Romam Carthaginemque intercedere debebant negotia, tot de communi salute consultationes, tot epistolæ commendatitiæ fratribus datæ; e quibus omnibus facile intelligitur, Episcopos, Romanum et Carthaginiensem, mutuas sæpe epistolas dedisse, quarum haud ita paucæ exstant in Cyprianicis a Cornelio et Cypriano scriptæ; et mortuo uno, successorem ejus alterum certiorem fecisse de sua electione atque consecratione. Sic ex Cyprianicis constat, Lucium Cornelii successorem statim post occupatam sedem Romanam literas dedisse ad Cyprianum, jam deperditas; hujus autem gratulatoria responsio extat in Cyprianicis, epistola 61. In hisce vero Cypriani epistolis ne vestigium quidem cernitur, unde colligi possit, eum Romanum Episcopum ut se superiorem suspexisse; quin e contrario eum semper fratrem sibi parem adloquitur, seque ejus parem sine ulla hæsitatione gerit.

CAP. XI.

CONTINUATIO. 4. PRESBYTERI ET RELIQUI CLERICI.

1. Ex superioribus facile intelligitur, *Presbyteros Ecclesiæ Africanæ,* quorum haud secus ac Diaconorum electio et ordinatio eodem modo peragebatur ac Episcoporum, consentiente nimirum Clero et Populo [1], Episcopis fere fuisse æquales, atque de iis valuisse verba Hieronymi: *quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat*[2]? Probabile est, non nisi seniores ad Presbyterii gradum atque honorem in Africana, ut in reliqua, ecclesia admissos fuisse, atque intervalla inter ordinationem ad Diaconatum et ad Presbyteratum fuisse servata; quod ipsa ecclesiæ sapienter administrandæ cura suasit; nec facile neophyti ad sacerdotii admittebantur officia. Attamen ea nonnunquam viris virtute ac doctrina eminentibus brevi post baptismum concredita fuisse, exemplum docet Cypriani, anno cum dimidio circiter, postquam Christianus factus erat, inter Presbyteros recepti [3]. Ordinabantur ab Episcopo et Presbyteris juxta consuetudinem, quæ universalis fuisse videtur, cujusque in Africa testis est canon 3. qui Concilio Carthaginiensi IV. anno 398. tribuitur; ubi: *Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum*

---

1 Vide Synodicam Epistolam Concilii Carthaginiensis IV. anno 24. de Basilide et Martiale, Hispaniæ Episcopis libellaticis apud Routh Rel. sacræ III. p. 80.

2 Epist. 85. (102. in ed. Martian. Tomo IV. p. 803.) ad Evangelum. Sic etiam Chrysostomus Homilia XI. in 1 Timoth. III. 3. *Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι (ἐπίσκοποι), καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.* Et iterum Hieronymus in Epist. ad Titum Cap. I. *Hæc propterea, ut ostendamum, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos Episcopos, paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores.* Eadem docet Hilarius Pictaviensis in I. ad Timoth. Cap. 3. vide supra p. 50.

3 A. p. C. 247. Pearsoni Annales Cyprianici p. 8.

Episcopi super caput illius teneant. Qui quidem canon certe non novum ordinationis ritum induxit, sed veterem illum in Ecclesia Africana dudum receptum sua auctoritate sanxit, propter causas nobis ignotas; nisi forte Episcopi passim Presbyteros ab ordinationibus excluserint. Exemplum præterea extat ordinationis a solis Presbyteris absque Episcopo peractæ. Novatus enim Presbyter Felicissimum Carthagine Diaconum constituisse narratur a Cypriano [4]; id quod certe, quamvis Schisma Novatianum eruperat, ausus haud fuisset, quum Novatiani ordinem haberent episcopalem, nisi vetus consuetudo excusationem illi præbuisset. Ejusdem antiqui moris vestigia superfuisse videntur seculo adhuc quarto exeunte. Etiam Augustini ætate ruris Presbyteri ordinabant Subdiaconos; id quod patet ex epistola ejus 63. (al. 240.) *Objurgando correximus... deinde Presbyterum et Verinum, per quos ut ordinaretur* (Timotheus Subdiaconus) *factum esse comperimus.* Attamen cum in ecclesia Africana Subdiaconi sine manum impositione ordinati fuerint [5], levius hoc delictum videri potuit, nec ordinationi Diaconorum a Presbyteris factæ comparandum. Subdiaconi enim ad inferiores tantummodo ordines ea ætate, ut et hodieque in Ecclesia Græca, referebantur.

Presbyteri et reliqui clerici urbium rurisque per secundum seculum sibi pares fuere. Cyprianus vero ep. 43. p. 82. clericorum urbicorum agnoscit jus una cum Episcopis suffragia de politia ecclesiastica ferendi. *Cum semel,* inquit, *placuerit tam nobis quam confessoribus et Clericis urbicis item Episcopis universis ..... ut nihil innovetur circa lapsorum causam.* Unde probabile fit, ab illo inde tempore jus illud clero ruris ademtum fuisse. Attamen Augustini ætate ruris Presbyteri, etsi dignitate inferiores essent, in foro tamen ecclesiastico paria cum urbis Presbyteris jura habebant. Augustini

---

4 Epist. 52. (al. 49.) p. 97. *Novatus Felicissimum, satellitem suum, diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit.* cf. Walchii Historie des Ketzereien I. p. 296.

5 Bingham II. p. 12. cf. canon. 5. Conc. IV Carthaginiensis. *Subdiaconus, qui ordinatur, quia manuum impositionem non accipit, patinam de Episcopi manu accipiet vacuam et calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua et mantile et manutergium.*

ep. 65. (al. 236.)[6]. Eodem quoque tempore habebant jus flagitiosos Subdiaconos communione sacrorum privandi, eosque munere sacro exuendi (ep. 108. al. 255.)[7]; quod certe ex prisca ætate ad eos transierat.

Cæterum distincti fuisse videntur Presbyteri in *Docentes* et *Regentes*. Presbyteros enim Doctores habet Cyprianus p. 29., p. 55. Sic quoque in Actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis legitur Aspasius Presbyter Doctor; quibus itaque incumbebat docere plebem.

2. *Diaconorum* sæpe fit mentio apud Cyprianum, et ante ejus tempora in Actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis; e quibus patet, eos in Africa, ut alibi, Christianorum in carcerem conjectorum curam gessisse. *Non ad sacerdotium sed ad ministerium eos consecrari,* habet Concilium Carthag. IV. can. 4. ex antiqua ecclesiæ disciplina. Recitabant offerentium publice nomina, (Cypriani ep. 9. al. 16.) aliaque ministeria exsequebantur, quæ per universam iis concredita erant ecclesiam. Baptizandi iis quoque pariter ac Presbyteris data erat facultas: *non tamen sine episcopi auctoritate,* h. e. venia, et habet Tertullianus de baptismo c. 17. Poenitentibus a Martyribus commendatis, absente Episcopo et Presbyteris, in necessitatis casu manus imponere iis licebat. Cypriani ep. 18. p. 40. Episcoporum erant Dispensatores, qui eleemosynas ecclesiæ indigentibus distribuebant (Cypr. ep. 52., p. 96.) pupillorum, viduarum, virginumque curam gerebant (ibid.), et universe *Arcam* s. thesaurum ecclesiæ administrabant. (Cypr. ep. 52. p. 95.).

3. *Subdiaconos,* in Ecclesia Occidentali ortos, inprimis in ecclesiis populosis amplisque, sicuti Romana, Ecclesia Africana Tertulliani tempore nondum habuit; alias haud reticuisset. Orti vero sunt tempore inter eum et Cyprianum medio, qui sæpe de iis loquitur[8]. Instituebantur haud dubie ad exemplum ecclesiæ Romanæ, eademque de causa; quod propter magna Ecclesiæ incrementa diaconi, quorum septenarium numerum excedere moris haud erat, suis officiis exequendis haud amplius pares reperiebantur, iisque idcirco dati sunt adjutores, nonnunquam in institutione Catechumenorum adhibiti, ut mox

---

6 Cf. Knittelii Priscam Ruris Ecclesiam p. 56.

7 Ibid. p. 57.

8 Epist. 3. 20. 29. 34. 35. 45. 78. 79.

ex epistola Cyprianica 29. apparebit. Ordinabantur, quod monui, sine manuum impositione. Persecutionibus ecclesiam infestantibus, ab Episcopis cum *literis clericis* ad externas ecclesias mittebantur (Cypr. ep. 9. 29.).

4. *Acoluthos* habet Cyprianus ep. 7. 34. 52. 77. 78. 79.

5. *Exorcistas* ecclesia Africana, licet Exorcismum bene noverit, eoque sæpe usa fuerit, haud habuit ante Cypriani ætatem. Eorum apud Latinos prima mentio occurrit in Epistola Cornelii Episcopi Romani apud Eusebium H. E. VII. c. 43. circa annum 251. scripta.

6. *Lectores* apud Hæreticos commemorat auctor appendicis ad librum de præscriptionibus c. 41. Atqui noti quoque erant in ecclesia Catholica. Sæpissime de iis loquitur Cyprianus, et in magna eos fuisse existimatione, vel inde patet, quod Celerinum et Aurelium Confessores in hunc ordinem cooptaverit (ep. 37. et 38.). E quorum numero eos qui rure degebant Punicæ linguæ gnaros esse debuisse, ex iis liquebit, quæ inferius (CAP. XVI.) de versionibus S. Scripturæ disputabimus. Lectoribus quoque interdum concreditam fuisse Catechumenorum institutionem, apparet ex Cypriani epistola 29. ubi Optatum Confessorem et Hypodiaconorum inter Lectores doctorem audientium a se constitutum narrat. Eorum statio in ecclesia erat *ad pulpitum s. tribunal ecclesiæ* (Cypr. Epist. 38. et 39.) quamobrem *super pulpitum imponi et ad pulpitum venire* eorum denotat Ordinationem ex usu loquendi Cypriani. Custodiam librorum sacrorum eis concreditam fuisse, valde est probabile.

7. *Ostiariorum s. Janitorum* nulla in Tertulliani atque Cypriani libris occurrit mentio.

8. *Diaconissas* denique, quæ haud raro *Viduæ* vocabantur, Ecclesiam Africanam habuisse, iisdem, quibus in reliquis omnibus coetibus, exequendis officiis vacantes, ex Tertulliano comperimus. In hisce vero officiis certe haud ultimum erat illud, ut in Gynæceis matronarum ethnicarum, ad quæ aditus iis concessus erat, semina religionis spargerent. Ad istud vero Diaconissarum munus eligebantur viduæ univiræ, sexaginta annos natæ, quæ quidem ætas in iis juxta præceptum Apostolicum 1 Timoth. V. 9. requirebatur; requirebatur præterea ut liberos educassent; (de velandis virginibus c. 9.). Matrimonia petentes eas pariter ac Episcopos, Presbyteros et Diaconos adibant, (de monogam. c. 11.)

Incertum an manuum impositione in Africana ecclesia fuerint ordinatæ[9]; *in ordinem* tamen *eas allegi* dicit Tertullianus (ad uxorem I. c. 17.) quæ sane verba de ordinatione intelligi possent: at certe consecrabantur precibus a Presbyteris fusis; id quod deinceps canonibus Conciliorum Carthaginiensium II. III. IV. prohibitum vel saltem limitatum legimus[10]. Quamquam vero ex mandato Apostolico nonnisi viduæ maturam ætatem adeptæ Diaconissæ erant constituendæ, abusus tamen invaluit, ut virgines eligerentur[11]. Quem Carthagine quoque mature irrepsisse, ex ipso Tertulliano constat, qui vehementer de hujus metropoleos Episcopo queritur, quod non virginem tantum, — *virginem viduam, miraculum, ne dicam monstrum,* sed puellam viginti nondum annos natam Diaconissam fecerat, eo consilio, ut tanto facilius arca ecclesiæ ali posset (de virginibus velandis[12]). Hisce adjungimus *Virgines,* quæ sese Christo dicassent, *ecclesiasticas* a sequentium temporum scriptoribus appellatas, quo melius a *monasticis,* quæ prisca illa ætate nondum fuerunt, distinguerentur. Vivebant in ædibus paternis, a parentibus, vel necessitate ita flagitante ab ecclesia alebantur[13]. Nullo tamen perpetuæ virginitatis voto obstrictæ tenebantur. Cyprianus enim ep. IV. p. 7. *Si perseverare nolunt* (virgines) ad Pomponium scribit, *vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Earum quoque meminit Tertullianus, de virginibus velandis c. 3. ubi tamen verba: *o sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt,* de vestitu virginum a Presbytero vel Episcopo consecrato intelligi minime debent. Agitur enim tantummodo de velo, quo capita operiebantur.

9. De *numero Clericorum* nihil constat. Diversum eum in singulis ecclesiis fuisse pro ratione temporum et locorum, per se patet; maximum Carthagine; minorem tamen Romano, in quem Cornelii tempore, seculo III. dimidio, præter Episcopum, 46 Presbyteri, 7 Diaconi, totidem Subdiaconi, 42 Acoluthi, 52 Exorcistæ, una cum Lectoribus et Ostiariis cooptati erant.

---

9 Ordinationis formulam in ecclesia Græca exhibent Constitutiones Apostolicæ Lib. VIII. c. 20. quæ tamen procedente tempore in desuetudinem abiit.

10 Bingham IV. p. 357.

11 Constitut. Apostol. VI. 17.

12 *Scio alicubi,* inquit, *virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam.*

13 Bingham. III. p. 96.

Presbyterorum incertum, Diaconorum septenarium numerum ad imaginem Ecclesiæ Hierosolymitanæ fuisse, haud injuria statuimus: de reliquis nihil conjectura assequi licet.

10. Quonam modo Clerici Carthaginienses, quibus docendi et cultum publicum administrandi officium incumbebat, ad hoc rite obeundum instituti atque præparati fuerint, ignoramus. Ne scholas quidem Christiani Afri habuisse videntur, in quibus pueri juvenesque erudiebantur; Tertullianus enim, quamvis negat Christianos ludimagistrorum atque professorum literarum officio fungi posse propter Idololatriam cum harum professionum exercitio conjunctam, haud tamen prohibet ne Christiani scholas Ethnicorum frequentent [14]. Scholam catecheticam, quales Alexandriæ[15], Antiochiæ[16], aliisque in majoribus ecclesiis conditæ erant, Carthagine floruisse, nullo loco legitur; nisi forte huc quodam-

---

14 De Idololatr. c. 10. *Scimus dici posse: si docere literas Dei servis non licet, etiam nec discere licebit. Et quomodo quis instituerctur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcunque sensum vel actum, cum instrumentum sit ad omnem vitam literatura? Quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus divina non possunt. Videamus igitur necessitatem literatoriæ eruditionis, respiciamus ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari; fideles magis discere quam docere literas capit; diversa est enim ratio discendi et docendi. Si fidelis literas docet insertas idolorum prædicatione, sine dubio dum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit..... ...... At, quum fidelis hæc discit, si jam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit; multo magis, si dudum sapit. Aut ubi coeperit sapere, prius sapiat oportet, quod prius didicit, id est, de Deo et fide. Proinde illa respuet nec recipiet. Et erit tam tutus, quam qui sciens venenum ab ignaro accipit, nec bibit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, quia aliter discere non potest. Tanto autem facilius est, literas non docere, quam non discere, quanto et reliqua scholarum de publicis propriis solemnitatibus inquinamenta facilius discipulus fidelis non adibit, quam magister non frequentabit.* Cf. Neandri Geist des Tertullians p. 42.

15 Guerike de scholæ Alexandrinæ Catecheticæ Theologia I. 11. Halis 1825. antiquiores, qui de hac schola scripsere, ut taceamus.

16 Cf. Programma nostrum de schola Antiochena, Hafn. 1811. theotisce versum in Stäudlini et Tzschirneri Archiv für Kirchengeschichte, Tom. I. p. 1.

modo referenda sint verba Cypriani ep. 29. p. 55. *Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, et Hypodiaconum Optatum Confessorem, quos jam pridem communi consilio Clero proximos feceramus, quando aut Saturo die paschæ semel atque iterum lectionem dedimus; aut modo cum Presbyteris Doctoribus lectores diligenter probaremus; Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus, examinantes, an congruerent illis testimonia, quæ esse debent in his qui ad Clerum parabantur.* Quibus verbis, obscura licet sint, inesse tamen videtur testimonium de cura atque industria Episcopi et Cleri Carthaginiensis in formandis et exercitio probandis iis, qui sacerdotali officio obeundo destinati erant. Primum vero, quod sciamus, Seminarium Clericorum Augustinus instituit[17].

Itaque, quum deessent seminaria, juvenes illi, qui antiquiori tempore ad sacrum munus præparabantur, ab Episcopis ac Presbyteris docentibus instituti videntur in dogmatibus præceptisque religionis, in confutatione errorum profanarum religionum, in mystica S. Scripturæ expositione, quam Afros adamasse ex Tertulliano atque Cypriano constat, atque simul in Catechesi exercitatos fuisse. Illi autem, qui provectiori jam ætate ad munera ecclesiastica adspirabant, plerumque erant homines literis, quæ publice Carthagine docebantur, bene eruditi; id quod v. c. de Cypriano memoriæ mandatum est, antequam Christianis se adjungeret, egregio causarum patrono; nec de Tertulliano in dubium vocari poterit, religionum, mysteriorum atque allegoriarum ethnicarum peritissimo. Hujusmodi igitur viri, postquam Christo nomen dedissent, propria lectione et meditatione, consiliis fratrum insuper adjuti, tanto faciliori negotio perfectiorem religionis notitiam, qualis in doctoribus ejusdem requirebatur, parare sibi potuerunt.

11. Sed postquam in Christianos gladio et igne grassatum fuit, Martyres et Confessores (Tertullianus enim ac Cyprianus hisce nominibus promiscue utuntur, Martyresque vel ii vocabantur, qui atrocioribus tormentis fortiter restiterant), in Clerum præcipue cooptati videntur. In Concilio enim Carthaginiensi a Cypriano celebrato suffragia legimus multorum Episcoporum, qui vel Martyres vel Confessores fuerunt[18]; sunt autem sequentes. In *Provincia Pro-*

---

17 Possidius in vita Augustini c. 2. 3. 18 Cypriani opera p. 229.

CONSULARI: *Faustus* Timidæ Episcopus, Confessor, cujus Augustinus meminit contra Donatistas de baptismo Lib. VII. 22. *Venantius* Tinisæ Episc. Confessor. *Pomponius* Dionysianæ, M. Cf. *Irenæus* Ululi Ep. Martyr. *Secundinus* Tambei, In *NUMIDIA:* *Salvianus* Gauzafalæ, M. *Jader* Midilæ C. et M. qui Christum igitur bis confessus est. *Verulus* Russicadæ, M. antea Schismaticus. *Clarus* Masculæ, C. In *MAURETANIA:* *Paulus* Obbæ v. Bobbæ C. *Lucius* Membresæ C.

Hosce viros maxime propter constantiam et pietatem Clero adscriptos fuisse vix est dubium, etsi eruditi haud essent, nec donis docendi eminerent. Concilium, cui interfuerunt, a Cypriano habitum est anno 266, Episcopatus nono: unde colligo, plurimos, quorum nomina recensuimus, in Clero fuisse, vel Episcopatum gessisse, antequam factus esset Africæ Primas; eos igitur ad illa tempora pertinere, quorum historiam enarrare adgressus sum: valde autem doleo, de iis præter nomina atque suffragia in Concilio lata nihil memoriæ mandatum esse. Cyprianum quoque eandem hanc consuetudinem Martyres et Confessores in Clerum evehendi, quæ certissime per totam ecclesiam observabatur, haud neglexisse, Epistolæ ejus pluribus in locis declarant.

12. Nullus denique prisca illa ætate fuit vestitus, quo Clerici a Laicis distinguerentur. Itaque nec in Africa quærendus est. Unicus qui huc trahi posset locus legitur apud Tertullianum de monogamia c. 12. *Cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus.* Quibus verbis Infula unice usurpatur ad significandam personam sacerdotalem, imagine a vestitu sacerdotum Ethnicorum petita: Quippe Infulæ Episcoporum aliorumque Prælatorum sunt longe serioris ætatis[19].

13. De Laicis monendum denique, nullum certum apud Tertullianum occurrere locum, unde colligi possit, eum Catechumenos in duas, Audientium nimirum et Consistentium, distinxisse classes, nisi illos *accedentes ad fidem,* hos *ingredientes in fidem* (de Idololatr. c. 24.) appellet; sicut quoque de spectaculis c. 1. inter eos qui *cum maxime ad Deum accedunt,* eosque qui *jam accessisse testificati et confessi sunt,* distinguit. Quibus fortasse verbis eosdem intelligit, quos alii Audientes (quam tamen vocem habet de Poenitent. c. 6.) et Consistentes dixere[20].

---

19 Bingham. II. p. 417.

20 Cf. Epist. Lincoln. Eccles. Hist. p. 246.

CAP. XII.

REDITUS CLERI.

1. Omnes hosce religionis ministros Ecclesia Africana e reditibus suis aluit, qui igitur ineunte seculo II. haud ita exigui fuerunt. Quæ hac de re ex Tertulliano atque Cypriano, cujus testimonio heic quoque uti juvabit, quum plurima ejus ætate veterem servaverint formam, colligi poterunt, huc fere redeunt.

Carthaginiensis Episcopus præcipit ex institutis Veteris Testamenti: *Clericos ut fratres sportulantes, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificio haud recedere, sed die ac nocte coelestibus rebus et spiritualibus servire debere*, (Epist. 1.); quam ob rem valde reprehendit abusum brevi ante Decianam persecutionem sive ortum sive manifestatum, *Episcopos plurimos . . . . procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus foenus augere*, (de lapsis p. 123.) Improbat præterea Geminium Faustum, quod Geminium Faustinum Presbyterum, qui procul dubio affinis ejus erat, *testamento suo tutorem nominasset*[1].

---

[1] Epist. 1. Idem hic Geminius Faustinus interfuisse videtur Concilio Cypriani, in cujus actis Geminius Furnitanus legitur. Ad Cypriani illam epistolam J. Fellus Oxoniensis Episcopus notavit, tutelam pupillorum, ex jure Romano pro munere publico habitam, onus fuisse, a quo nonnisi ex certis gravissimis causis, iisque lege definitis, excusatio concedebatur. Instit. I. tit. 25. Itaque conjicit, Christianos mutuo consensu et vi canonum inter se cavisse, ne Christianus aliquis id oneris de Clero cuiquum vellet imponere, idque sub poenis iisdem canonibus contentis. Hoc vero canone non Clericis interdictam fuisse susceptionem tutelæ, sed patribusfamilias prohibitum, ne Clericos tutores nominarent, Cramerus, Antecessor Kiloniensis, me per literas docuit. Quo quidem canone, quum tutoris datio in testamento sit jus patrisfamilias, nullum vero officium illi, qui nominatur, incumbens, leges publicæ haud violabantur. Eodem modo in alio Concilio apud Justellum Cod. Can. Ecclesiæ Africanæ can. 35.

2. Quum igitur ex sententia veteris ecclesiæ universæ, ut et Africanæ Altaris ministri alendi essent ex reditibus ecclesiæ, ad hos pertinebant:

1) *Oblationes,* antiquissimis temporibus et usque ad persecutiones sec. III. tantum die dominica, natalitiis Martyrum, in sepultura fidelium (Tertullianus de corona milit. c. 3.) et tempore Xerophagiarum, cum Sabbatis, tum diebus dominicis (Tertull. de jejun. c. 15.) factæ. Duplex præsidentibus honor binis partibus deputabatur, id quod Tertullianus vehementer vituperat. (de jejun. c. ult.).

Neque hæ fidelium pro Agapis celebrandis oblationes, quæ deinceps a canistris in quibus offerebantur *sportulæ* dictæ sunt[2], sine incommodo eorum factæ sunt, id quod innuit Tertulliani Apolog. c. 39. *Quantiscumque sumtibus*

---

jus parentum filios emancipandi, quod Episcopos et Clericos, quo suæ tutelæ efficerentur, restringitur. Ab hac tamen canonis a Cypriano allegati interpretatione nonnihil discrepare videtur can. 8. Concilii Carthaginiensis anno 348. v. 349. sub Grato habiti, in quo, quæstione, an procuratores et actores, tutores etiam pupillorum debeant ordinari? proposita, latum est decretum: *Si post deposita universa et reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint probati in omnibus, debent cum laude cleri* (si postulati fuerint) *honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ecclesia diffamatur.* Labbei Concilia II. p. 716. Ex hoc enim canone patet, Ecclesiam Africanam seculo adhuc quarto procuratores, tutores, et alienorum negotiorum actores, dum hisce officiis vacarent, inter Clericos haud recepisse. Atqui bene observandum, ea jam tempestate leges Constantini M. latas fuisse, quæ Clero Christiano immunitates largiebantur.

2 Has sportulas habet Cyprianus Epist. 39. leguntur quoque Sportulæ apud Auctores et in Monumentis. Sic v. c. in epigraphe arcus triumphalis apud Shawium p. 261.: COLONIÆ SCILLITANAE. Q. MANLIVS FELIX. C. FILIVS PAPERIA RECEPTVS POST ALIA ARCVM QVOQVE CVM INSIGNIBVS COLONIAE SOLITA IN PATRIAM LIBERALITATE EREXIT. OB CVIVS DEDICATIONEM DECVRIONIBVS SPORTVLAS CVRIIS EPVLAS........ Et in alia apud Basil. Fabrum Thesaur. ad h. v. IMPETRATI LOCO EX D. ORD. STATVA FORENS. MEMORIAM PIETATIS HONORAVIT DATISQVE SPORTVLIS DEDICAVIT. Plura vide apud Marinium, Atti de' fratelli Arvali p. 398.

constat (Agape) *lucrum est pietatis nomine facere sumtum, siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus.*

2) *Oblationes menstruæ s. mensurnæ*, de quibus Tertullianus eodem loco. *Arcæ genus dicit*[3], *in quod modicam unusquisque stipem menstrua die* (prima scilicet in mense die dominica), *vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis et si qui in insulis vel in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Quam quidem arcam Cyprianus, qui sportulas quoque habet, (ep. 39. extr.) *Corban* appellat, (Matth. XXVII. 6.) de op. et eleemos. p. 203. divitesque matronas hanc negligentes vituperat. Nullum igitur dubium, quin clerici, si egeni essent, ex hisce menstruis oblationibus suam quoque partem acceperint; quod quidem, etsi non Carthagine,

---

[3] *Arcam* habent scriptores Romani. *Arcam Senatus* Aurelianus Imperator in epistola apud Vopiscum in vita ejus c. 20. *Arcam quæstoriam* Symmachus Epist. X. 47. *Arcam duplicem Præfectorum Prætorio*, Novell. 148. *Theatralem* Novell. 57. et universe L. I. §. 1. D. teste Cajo omnibus, quibus permissum corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium fuerit, ad exemplum Reipublicæ habere res communes et arcam communem. Cf. Cramerum in Commentariis vetustis in Juvenalis Satiras ad Sat. X. p. 380. erudite hoc de argumento disputantem. Latrones quoque commune ærarium *arcam* appellasse, innuit Apulejus Metamorph. VII. p. 189. In Marmoribus sæpiuscule legitur. Sic arca Pontificum commemoratur apud Gruterum Inscr. p. 765. 5. HOC MONVMENTVM NE DE NOMINE NOSTRO EXEAT QVI EXTERNVM INDVCERE VOLVERIT POENAE NOMINE INFERAT ARCAE PONTIFICVM H—S. L. M. N. Sic quoque p. 383. 4. et p. 1033. 8. ubi INF. ARKAE P. P. ROM. Thesaurum Ecclesiæ Romanæ *Arcam* quoque appellatum fuisse, fidem facit Prudentii Hymnus de Martyrio S. Laurentii, v. 53. ubi Præfectus

Laurentium sisti jubet:
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidæ
Montes monetæ conditos.

in aliis tamen oppidis atque rure haud raro accidisse, pro certo assumere licet, quamquam nulla hac de re mentio fit in Tertulliano atque Cypriano. *Oblationem* vero *primitiarum*, quarum meminerunt Canones Apostol. 3. 14. quum Cyprianus nullo habeat loco, probabile est, ecclesiam Africanam ignorasse. Neque *decimas* in Africa Christiani solvebant, licet eas noverit Cyprianus, qui de unit. eccles. fin. expressis verbis dicit: *at nunc de patrimonio nec decimas damus.*

3. Verum enimvero, ubi necessitas postulabat, *stipes collatæ* in subsidium vocabantur. Hæ conferebantur ab universa plebe, cujus rei exemplum adfert Tertullianus, quum de episcopis narrat, qui libertatem coetuum publicorum habendorum redimere voluerint, (de fuga 13. 14.). Quod quidem haud una hac occasione et communis tantummodo utilitatis causa, sed sæpius factum esse, indicat alio loco, de jejun. c. 13. *Bene autem, quod et episcopi universæ plebi jejunia indicere assolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestræ capturæ*[4] *est, sed interdum et ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ causa.* Ad quæ tamen verba observandum est, Tertullianum, Montanistam jam factum, justo forsan acerbius in episcopos invehi. Majoris vero hac in re auctoritatis est Cypriani querela, qui eundem hunc clericorum paulo ante Decianam persecutionem abusum vituperat ep. 64. *stipes et oblationes et lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubant.* Ipse vero Carthaginiensis præsul a sordida hac agendi ratione fuit alienissimus, quippe qui in Deciana persecutione *sumptus una cum clero suggessit de quantitate propria* (ep. 36. et 60.). Neque aliæ deerant *stipes voluntariæ,* quas lapsis aliisque Christianis commendat. (de lapsis fin. de habitu virg. p. 176. de op. et eleemos. p. 240.).

4. *Jura stolæ,* quæ dicuntur, Tertulliani ætate nondum exstiterunt; *neque enim pretio res ulla Dei constat,* verba sunt ejus, Apolog. c. 39.

---

[4] Captura h. e. reditus. Mosh. Comment. de rebus Christianis ante Constant. M. p. 265. de stipibus universe adeas Cannegieterum in Ulpiani fragmentis Regularum etc. Lugd. 1774. p. 444. Innuit h. l. jejunia indicta fuisse eo consilio, ut sumtus, quos Christiani jejunando haud impenderent, in pauperes erogarentur. Cf. Neandri G. d. T. p. 287.

Locus vero ad uxorem L. II. c. 9. de benedictione sacerdotali matrimoniorum: *Unde sufficiam ad enumerandum felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignatum angeli renunciant, pater pro rato habet:* huc non pertinet, quum de oblatione vel eucharistica vel precum unice sermo sit[5].

5. Omnes hi reditus, ut et omnia ecclesiæ bona, episcopis ubique commissi erant, sub quorum auspiciis diaconi singula administrabant. Sic quoque apud Afros. Aperte hoc testatur Tertullianus de virgin. velandis c. 19. *Cui,* virgini illi, quam Episcopus Carthaginiensis diaconissam fecerat, *si quod refrigerii debuerat episcopus.* Idem hoc ex variis Cypriani locis patet. Celerino et Aurelio, quos presbyteros creaverat, se reditus presbyterorum adsignasse scribit ep. 39. In exilio presbyteros et diaconos jubet suas partes tueri, *in largitione quoque eleemosynarum et suggestione sumtuum, illis qui in carcere sunt, iisque qui pauperes et indigentes laborant* (ep. 4.). Jus quoque episcopo fuit, clericos sequestratione divisionis mensurnæ puniendi, ut patet ex ejusdem Cypriani ep. 34.

---

5 Ziegler über die Einkünfte des Klerus und der Kirche in den drei ersten Jahrhunderten. In Henkii Neuem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte IV. p. 42.

CAP. XIII.

MORES CHRISTIANORUM.

1. Veteres jam Carthaginienses apud Romanos male audiisse, ex Cicerone aliisque constat. Fraudulentiam enim, mendacia, nullam in foederibus servandis religionem crimini iis vertit Cicero, contra Rullum Orat. 2. c. 35. et in fragmentis ab Angelo Majo editis (Frncf. 1815.) p. 13. Eorundem vitiorum rei habebantur Carthaginienses Romani. Sic Capitolinus Gordian. 3. c. 14. *Afri fidem punicam præstiterunt;* item c. 15. et Maximinus Aug. apud eundem in vita Maximini c. 18. *Afri fidem fregerunt. Quid dicam, fregerunt? nam quando tenuerunt?* Sic quoque Expositio totius mundi (Hudson. Geog. minor. T. 3. p. 18.) *dolosos* eos nuncupat, dicitque *difficile inter eos inveniri bonum.* Neque scriptores ecclesiastici perditos eorum mores reticent, inprimis vulgivagam Venerem apud Siccam Veneriam (Augustinus de civit. Dei II. c. 3. IV. c. 10. et Salvianus Massiliensis de Gubernatione Dei VII. c. 16.)[1].

2. Hisce quidem turpissimis moribus nuncium miserunt Christiani Afri; eorumque pietatem erga Deum, mores castos piosque, fidem Imperatoribus et magistratibus servatam plus semel laudant Tertullianus, ad Scapulam c. 2. Apologet c. 30. sequ. Cyprianus contra Demetrianum, et ad Donatum, ubi vitia recenset, a quibus Christianus sibi cavere debeat, ut et Arnobius Lib. IV. versus finem. Et negari nullo modo potest, sanctissimam religionem in horum quoque hominum moribus emendandis divinam suam vim atque efficaciam exseruisse. Attamen idem de Africanis quod de cæteris prisci temporis Christianis valebit, multos quidem emendatos fuisse, attamen haud omnia in oblivionem abiisse vitia; et quamvis ecclesia Africana multos aluerit homines pios probosque, atque plurimos, qui spreta idololatria turpissimos quoque exuissent mores, perfectionem tamen illam, quam antiquiores apostolico ævo primisque post Christum natum seculis pie magis quam vere tribuerunt, apud Afros haud esse quærendam, populique ingenium atque libidines Christianos quoque haud raro labe sua adspersisse.

---

[1] Cf. librum nostrum Religion der Karthager p. 79. sequ.

Tertullianus enim candide fatetur, (ad nat. I. c. 5.) in Christianis *pessimos esse et probrosissimos avaritia, luxuria et improbitate quosdam.* De iisdem his vitiis queritur Cyprianus, iisque sine dubio auctis, quum pax ecclesiæ mores corrupisset. In libro de unitate ecclesiæ *emarcuisse* dicit *fidei vigorem, elanguente Christianorum robore.* Vehementer quoque invehitur in divites avaros et injustos, (de Eleemos. p. 203.) in aleatores (de alcatoribus, si tamen hujus libri est auctor.) In libro de lapsis p. 123. corruptam barbam viris objicit. Neque minores reprehensiones incurrebant matronæ atque virgines. Tertullianus enim in libris de velandis virginibus, de habitu muliebri, de cultu feminarum, mulierum inprimis luxum atque superbiam acriter carpit, et quamquam lubentes fatemur, austerum Presbyterum, Montanismi insuper placitis imbutum, *ἀδιάφορα* quoque interdum vituperare, clare tamen ex querelis et admonitionibus ejus elucet, quam fuerint molles et delicatæ virgines et matronæ, maxime Carthaginienses, placendique furore actæ incitatæque vel afflictissimis temporibus, dum vel instarent vel premerent persecutiones. Virginibus *petulantiam* exprobravit[2], *impudentiam ostentatitiæ virginitatis, nundinatitia capita;* respicit librum suppositum Henochi, qui omnes illas placendi artes ab angelis de coelo ad filias hominum ruentibus proditas esse docuerat (de habitu muliebri c. 2.) Matronis *capita objecit mitris et lanis non velata* (de veland. virgin. c. 3. et 13.), ornatum et cultum, curam capillorum et cutis, *et earum partium quæ oculos trahunt, atque sumtus immodicos* (de habitu mulierum c. 4. sequ.) in quibus accusationibus Cypriani liber sub eodem titulo editus et ejusdem auctoris tractatus de lapsis[3] cum eo plane conspirant. *Vultus* præterea *fuco pictos, capillos*

---

2 Virgines nimis mature ad negotia mitti, innuere videtur, de velandis virginibus c. 11. *Ethnici,* inquit, *feminas a duodecim annis ad negotia mittunt..... pubertatem in annis, non sponsalibus et nuptiis decernentes..... Materfamilias vocatur, licet virgo..... a nobis nec naturalia observantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster.*

3 P. 123. *Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati.*

croco flavescentes, sutilia et textilia capillamenta galeri in modum (de cultu fem. c. 46.)[4] *circulos ex auro, quibus brachia artantur*[5], *nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur, lumina capillorum, quibus monilia variantur*[6], (de habitu muliebri c. 2.). Vestes pretiosissimis unionibus ornatas[7], et quæ sunt ceteræ artes *κοσμητικαὶ* in Gynæceis cultæ; tædium prætcrea vitæ domesticæ intra Gynæcei parietes et otiosam vitam iis exprobrat, (de cultu foemin. c. 13.), quæ omnia diutius persequi piget[8].

Nec aliter Commodianus Instruct. 60.

Capillos inficitis, oculos fuligine relinitis,
Levatis comulas granulatim, fronte depicta,
Malas medicatis quodam superducto rubore,
Nec non et inaures gravissimo pondere pendent;
Obruitis collum monilibus, gemmis et auro;
Palmas Deo dignas præsagio malo ligatis.
Quid memorem vestes, aut totam Zabuli (Diaboli) *pompam?*
Respuitis legem, quum vultis mundo placere.
Saltatis in domibus, pro psalmis cantatis amores.
Tu licet sis casta, non te purgas sinistra sequendo. etc.

Similia habet Instruct. 59.

Res vanas adfectas, cuncta de Zabuli pompa.
Ornaris ad speculum cincinnos fronte reflexos;

---

4 Alio in loco (de cultu feminar c. 7.) enormitates taxat sutilium et textilium capillanentorum. Cf. Böttigeri Sabinam p. 262.

5 Periscelides, vetus illud mulierum Orientalium ornamentum, de cultu fem. c. 7.

6 Ibid. c. 11. Cf. de hoc matronarum luxu, quo monilibus suis gemmas pro lubitu inserebant, Böttigeri Sabinam p. 407.

7 Ibid. c. ult. *Uno lino decies sestertium inseritur.* Uniones, quibus pertusis in linea utuntur feminæ, lineam margaritorum dixit Scævola lib. XXVI. ad l. Falcidiam. De unionibus in linea lex est Ulpiani ad L. Aquil. Index Semlerianus. Decies sestertium æstimantur 54000 Thaleris monetæ saxonicæ. Cf. Böttgeri Sabinam p. 405.

8 Ep. 3. 20. 29. 34. 35. 45. 78. 79.

Nec non et inducis malis medicamina falsa;
In oculis puris stibium perverso decore;
Seu crines tingis, ut sint toto tempore nigri.

Nil igitur mirum, si in hujusmodi matronis pietatem Christianam languisse easque in officiis quæ ipsis incumbebant exequendis remissiores fuisse legamus. *Vobis,* inquit Tertullianus (de cultu fem. c. 11.), *nulla procedendi causa non tetrica: aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur ...... Ac si necessitas amicitiarum officiorumque gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ proceditis? tanto magis, quanto ad extraneas fidei; ut sit inter ancillas Diaboli et Dei discrimen*[9]. Eodem sensu *feminæ sordere* dicit *ecclesiam,* postquam matrona esset facta[10].

Universe autem in diuturna ecclesiæ pace mores fuisse relaxatos non est quod miremur. Hinc forte explicanda sunt verba angeli in Actis Perpetuæ et Felicitatis: *Corrige plebem tuam, quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes et de factionibus disputantes,* quæ Optato dicta esse Morcellus existimat[11]; equidem vero crediderim potius Cyro vel adhuc Agrippino. Eadem quoque ætate Catechumeni vitiis suis adhuc indulsisse videntur, spe freti, fore ut baptismo, quem ea de causa procrastinabant, ab omni peccati labe culpaque purgandi eximendique essent, quos graviter Tertullianus vituperat et refellit libro de poenitentia c. 6.[12].

Ista autem omnia, de quibus diximus, luxuriæ vitia quum Carthagine essent domestica, facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut Christiani, tot necessitudinibus cum gentilibus conjuncti, ab iis haud ita raro sese contaminari passi fuerint; unde quoque factum, ut afestis Gentilium celebrandis, v. c. Saturnalibus, Januariis, Brumalibus, Matronalibus se haud plane abstinerent[13]. Huc accedit,

---

9 Cf. quoque Neandri kleine Schriften I. p. 43.

10 Ad uxor. II. c. 8.

11 Africa Christiana II. p. 54.

12 Neander G. d. T. p. 215. Ep. Lincolnensis Ecclesiastical history p. 248.

13 Tertull. de Idololatria c. 14. *Nobis quidem subbata extranea sunt, et neomeniæ et feriæ a Deo aliquando dilectæ; Saturnalia et Januaria et Brumæ et Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, convivia constrepunt..... Nos, ne Ethnici*

ipsis in familiis Gentilium multos fuisse Christianos, et virgines Christianas ethnicis nupsisse; unde certe, ut ubique locorum, haud raro incommoda gravissima fluxerunt, in quibus enarrandis Tertullianus versatur, ad uxor. lib. II. c. 6.[14].

Proinde nil mirum, si hujusmodi matrimonia mixta, quæ sibi omnino licere putarunt Christianæ mulieres, quoniam Paulus Apostolus ea neutiquam interdixerat[15], nihilo tamen secius a Tertulliano (adv. Marc. V. 7. de monogam. c. 7. 11. ad uxorem II. 2. 3. 13. de coron. militis c. 13.) atque a Cypriano (testim. ad Quirin. III. c. 62. de lapsis p. 123.) valde improbata legamus.

3. Sed et ipsos Clericos omnis labis haud fuisse expertes, ex testamoniis Tertulliani et Cypriani satis superque colligitur. Sic ille de jejun. c. 13. episcopos accusat jejunia indixisse lucri causa. De Episcopo Carthaginiensi queritur, quod tenellam illam virginem de qua CAP. XI. diximus in diaconissarum numerum adlegerit (de virg. vel. c. 9.) Cyprianus ep. 165. p. 163. *stipes et oblationes et lucra clericos desiderare adfirmat*, *quibus prius insatiabiles incubant.* Narrat præterea: *episcopos plurimos procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle; fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus foenus augere;* (de lapsis p. 123.)[16]. Turpissimos quoque mores nefandamque venerem Tertullianus Episcopo Uthinensi exprobare videtur, de quo de monogamia c. 12. dicit, *qui nec Scantiniam timuit*[17]. Quæ quidem

---

pronunciemur, non veremur. Ceterum ipse Tertullianus Christianis haud omnem cum Ethnicis familiaritatem interdicit, ipsisque celebritatibus mere civilibus v. c. nuptiis vel ubi puer prætextam cum toga mutaret, interesse lubens concedit. Neandri Geist des Tertull. p. 56. Sed omnia spectacula repudiavit, ut cultum diaboli (libr. de spectac.); quapropter in eo ait agnosci Christianum ab Ethnicis, quod haud amplius spectacula frequentet.

14 Tu vide libellum nostrum: Die Christin im heidnischen Hause. 1828.

15 1 Cor. VII. 12-14.

16 Eadem hac Cypriani verba allegat Augustinus contra Cresconium Lib. §. 40.

17 Lex Scantinia, perperam Scatinia dicta, lata a. u. c. 526., cujus auctor fuit Aricinus. Commentator vetustus in

omnia adeo detestanda, illa ætate tanto magis piis quibusvis Christianis summopere displicebant, quanto magis exosi erant mercaturam ex lucri cupiditate oriundam, qua præterea merces parabantur ad cultum idolorum necessariæ (de Idololatria c. 11.).

4. Idem Tertullianus præterea incontinentiam virorum ecclesiasticorum acriter vituperat. Jus quidem matrimoniorum clero Africano haud erat ademtum, si nimirum Episcopi ac Presbyteri [18] uxores ante ordinationem duxissent, atque Diaconi, qui post ordinationem nuberent, hac de re prius cavissent; quæ constans fuisse videtur ecclesiæ per priora secula consuetudo[19]; unde in Africa quoque uxoratos invenimus clericos, exceptis Montanistis, qui omne clericorum matrimonium repudiabant[20]. Ipsum autem Tertullianum uxorem duxisse, libri ejus ad uxorem testantur; cui vero supervixisse videtur, quum Montanista factus, in clerum hujus sectæ cooptatus fuerat. Alios presbyteros uxoratos legimus apud Cyprianum v. c. Novatum et Numidium Carthaginienses ep. 52 et 40; Cæcilium Presbyterum, (Pontius in vita Cypr. p. 6.): ipsum Cyprianum uxorem habuisse, idem Pontius perhibet. Sed monogamiam constanter commendat Tertullianus, qui integrum de ea librum scripsit, inprimis in ecclesiasticis viris. Provocat ad locum Pentateuchi: *Sacerdotes mei non plus nubent* [21]. (Exhort. castit. c. 7.)

Juvenalis Satiras apud Cramerum p. 584. ita habet: *quæ damnabat adulteria virorum tantum, sicut Julia mulierum tantum.* Parum nota est. Cf. Bachii Hist. jurisprud. Romanæ p. 146.

18 Concilii Hipponensis anno 393 celebrati canon. II. Episcoporum, Presbyterorum aliorumque clericorum filiis injungit, ne spectacula exhibeant iisve intersint. Fuchs Bibl. d. Kirchenversamml. III. 75.

19 Presbyteris matrimonio contrahendo interdictum fuit can. I. Concilii Neocæsareensis post initium sec. IV. habiti. Routh Rel. Sacræ III. 495. 495. Concilii Millevitani can. 51. decretum fuit: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios. Quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Routh IV. p. 51.

20 Vide infra Cap. XXII.

21 Qui tamen Levit. XXI. 7. 13. 14. haud legitur, ubi sacerdotes saltem prohibentur a matrimonio cum vidua, compressa aut repudiata ineundo. Tu de hoc loco vide Cap. XVI.

Continentiam Flaminicæ, Flaminis et Pontificis Maximi laudat, quibus iterare matrimonia nefas erat (ibid. c. 13.) Pronum igitur est intelligere, quam indigne tulerit secunda clericorum matrimonia, ab Athenagora jam in quovis Christiano, qui ea contraxisset, improbata[22], quorum etiam Episcopos reos habuit. Sic, Montanista jam factus, Catholicos insectatur his verbis: *Quot enim et digami præsident apud vos?* (de monog. c. 12.) et exhort. castit. c. 7. de *quibusdam clericis digamis* loquitur loco dejectis.

5. Verum enimvero id, quod a severioribus per summam injuriam objiciebatur clero Africano legitimo matrimonio cum uxoribus juncto, id certissime summo jure reprehendebatur in iis, qui mulieres, quæ neque sorores neque consanguineæ essent, in contubernio habebant. Nam abusum illum cum *subintroductis* sororibus, συνεισάκτοις, ἀγαπηταῖς vivendi[23], mature in Africana ecclesia invaluisse constat. Reperimus jam Tertulliani ætate, qui de jejun. adv. Psychicos c. 17. in Catholicos invehitur, penes quos, si vera narrat, in Agapis *adolescentes cum sororibus dormiunt, appendices scilicet gulæ lascivia atque luxuria!* Certe hi abusus Cypriano Episcopo invaluerunt. Is enim ep. 13. p. 30. dicit: *Cum summo animi nostri gemitu et dolore cognovimus, non deesse qui Dei templa et post confessionem sanctificata et illustrata membra turpi et infami concubitu suo plus maculent, cubilia sua cum feminis promiscue jungentes.* Sic quoque ep. 14. et ep. 4. p. 7. ad Pomponium Episcopum Dionysianensem: *legimus litteras tuas, quas ...... misisti, postulans, ut tibi rescriberemus, quid nobis de iis virginibus videatur, quæ quum in statu suo esse et continentiam firmiter tenere decreverint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis: ex quibus unum diaconum esse dicis*[24], *plane*

---

22 Decora quædam esse adulteria declarat. Legat. pro Christianis cap. 28.

23 Presbyteros quoque ejusdem delicti reos factos fuisse, colligo ex verbis Cypriani in eadem epistola: *Et cum omnes omnino eandem disciplinam tenere oporteat, multo magis Præpositos et Diaconos curare hoc fas est, qui exemplum .... cæteris ..... præbeant.*

24 Prima hujus abusus vestigia admodum mature inveniuntur in Pastore Hermæ I. Coteler. fol. 76. et III. Similitud. 9. §. 11. fol. 115. *Uxores* vocabantur *spiritales.* Interdum hæ subintroductæ antea fue-

easdem, quæ se cum viris dormiisse confessæ sint, adseverare se integras esse. Laudat Pomponium, quod hunc *Diaconum et cæteros, qui cum virginibus dormire consueverint, abstinuerit,* suadetque, ut, *si poenitentiam egerint et a se invicem recesserint, virgines inspiciantur ab obstetricibus diligenter, et si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad ecclesiam admittantur, addita tamen interminatione,* ut, si ad idem vitæ genus redierint, *graviore censura ejiciantur, nec in ecclesia postmodum facile recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, aget poenitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admissit, non mariti sed Christi adultera est, et ideo æstimato justo tempore, postea, exomologesi facta, ad ecclesiam redeat.* Itaque non virgines tantum, sed et matronæ tali contubernio usæ sunt, id quod Cypriani quoque verba indicant in eadem epistola: *Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur et fremit?* Et in universum quam foedus sit hicce abusus ostendit. *Certe, inquit, ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio et inosculatio, et conjacentium duorum turpis et foeda dormitio, quantum dedecoris et criminis confitetur?* Haud tamen sublatum in Africa fuit scandalum; nam cohabitatio extranearum feminarum cum clericis, jam in Concilii Nicæni c. 3. et Ancyrani c. 19. prohibita, in Carthaginiensibus Synodis I. can. 3. II. can. 17. IV. can. 46. iis iterum iterumque interdicta legitur[25].

6. De superbia quoque Diaconi, qui Rogatianum Episcopum contumeliis exacerbaverat, habemus epistolam Cypriani 3. p. 5. In libro de lapsis vitia Episcoporum et Confessorum severe vituperat, his *temulentiam, fraudes, stupra, adulteria,* illis *nundinationes,* aliis *perjuria et augendi patrimonii studium, sacerdotibus parum devotam religionem* objicit; quæ quidem omnia satis ostendunt, ecclesiam Africanam Cypriani jam tempore a puritate Christiana longe aberrasse.

---

rant clericorum uxores. Sic Therasia Paulini Nolani amica. Idac. in vita Paulini.

25 Cf. Binghami Orig. II. p. 339.

7. Quod vero ad vitæ genera pertinet quæ amplecti Christianis licitum esset, eadem in Africana, quæ in reliqua ecclesia, reperimus decreta. Namque idolorum artifices, astrologi, magi, histriones, et omnes qui nefando vitæ genere victum quærebant, a baptismo arcebantur. Nonnunquam tamen inter Christianos cooptatos fuisse, legimus. De idolorum artificibus in ordinem ecclesiasticum adlectis graviter queritur Tertullianus[26]; histrionem, qui christianam religionem fuerat amplexus, commemorat Cyprianus, qui, quum iste homo, non solum in hac arte perseveraret, verum etiam pueros in eadem erudiret, hoc nullo modo concedi posse arbitratus est[27]. De militia vero, utrum Christiano sit licita an illicita, in varias sententias abierunt Afri. Scilicet ex ipso Tertulliani libro de corona militis patet, Carthagine haud ita fuisse paucos, qui militis illius factum, qui coronam abjecerat, improbarent, et militarem vitam cum professione religionis Christianæ minime pugnare statuerent, atque pro sua sententia præcepto a Johanne Baptista militibus Lucæ III. 14. dato, exemplisque Josuæ, Centurionis Luc. VII. et Cornelii Actorum X. uterentur. Ii vero, quibus militia invisa erat, cum ad sacerdotium Christianorum spirituale provocabant, tum omnia pericula, quibus milites Christiani propter tentationes ad cultum idolorum, cum vita militari arcte conjunctum, exercendum obnoxii erant, perhorruerunt[28].

---

26 De idolol. c. 7. *Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!*

27 Cypriani epistola 2.

28 Cf. Neandri Geist des Tertullians p. 50. 110-115.

CAP. XIV.

NEXUS ECCLESIÆ AFRICANÆ CUM CETERIS.

1. Ex iis, quæ supra (CAP. IV.) exposuimus, intimum ecclesiæ Africanæ cum Romana intercessisse nexum, omni tamen obsequio erga hanc remoto, luculenter apparet. Nec vero cum ea tantummodo atque universa Italica et Sicula fraternitatis foedus pepigisse, sed cum omnibus majoribus ecclesiis, etsi desint testimonia expressa, certo tamen certius ex omnibus de concordia ecclesiarum Catholicarum per veterem orbem testimoniis colligere licet. Huc accedit Carthaginis celebritas, commercia, literarum quod in hac metropoli floruit studium, immensa adventantium hospitum multitudo; quibus omnibus factum, ut quidquid inter Christianos sive Orientales sive Occidentales ageretur cito per certos nuncios Carthaginem deferretur. Tertullianus igitur, libro de præscriptionibus c. 20., unitatem ecclesiæ laudans, Carthaginem minime excludit. *Omnes,* inquit, *probant unitatem. Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* Eadem hæc porro ex multis aliis Tertulliani locis elucent. Namque in ejus libris sparsæ leguntur multæ notitiæ de exteris ecclesiis, quas tamen haud omnes, quum Romæ commoraretur, colligere potuit. Sui temporis hæreticos per Asiam, Africam et Europam sparsos, ubicunque essent ecclesiæ Christianæ, inprimis tot Gnosticorum sectas, accurate novit. Ipse Montanismum, in Phrygia ortum, inde Romam et Carthaginem delatum, amplexus erat. Græcos quoque libros scripsit (CAP. XXI.) quos tamen vix tantummodo Græcis Carthagine, Uticæ et Hippone Regio consistentibus legendos, sed Romam quoque et in Græciam Aegyptumque mittendos destinaverat.

2. Eundem hunc Carthaginis Christianæ cum aliis ecclesiis nexum declarant Cypriani et Episcoporum Romanorum mutuæ epistolæ, itinera Episcoporum Afrorum Romam suscepta, e quibus duo, Pompejus et Stephanus, consecrationi Cornelii interfuerunt (Cypr. Epist. 55. p. 104.); Cypriani epistola 67, Felici et plebibus Christianis ad Legionem, et Asturicæ in Hispania Tarraconensi (p. 170.); et quod ipsam Asiam attinet, Firmiliani, Cæsareæ Cappadociæ Episcopi,

ad Cyprianum Epistolæ in controversia de hæreticis rebaptizandis[1]. E quo vel uno exemplo patet, Africanas ecclesias mature jam receptas fuisse in reliquarum omnium societatem, qua firmatum ita fuit ecclesiæ ædificium, ut vel a cruentissimis persecutionibus in posterum concuti prorsus nequiret.

CAP. XV.

CANON SCRIPTURÆ SACRÆ.

1. Quamquam historiæ ecclesiasticæ monumenta de fonte, unde Afri canonem suum sacræ Scripturæ hauserint, nihil memoriæ produnt, proxime tamen, quum fere omnis religionis Christianæ doctrina ex orbis terrarum metropoli ad eos delata videatur, a vero abest sententia, ecclesiam Romanam canonem quoque suum sacrum cum iis communicasse. Qualis vero Afrorum sacer ille utriusque canon fuerit, inprimis colligere est ex Tertulliani atque Cypriani libris. Pauca enim illa, quæ acta Martyrum Scillitanorum hoc de argumento exhibent, ad rem accurate definiendam nihil prorsus faciunt, quum Speratus Christianus a Saturnino Proconsule interrogatus, *qui essent libri quos legentes adorarent,* tantummodo reponeret: "*Quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi, et Epistolæ Sancti Pauli Apostoli, et omnis inspirata Scriptura,* vel ut aliud Manuscriptum eorundem Actorum habet: *Libri Evangeliorum et Epistolæ Pauli, viri sanctissimi, Apostoli*[1].

---

1 Authentiam hujus epistolæ in dubium vocatam vindicavit J. G. Walchius dissertatione: Cypriani ac Firmiliani epistolorum adversus Stephani I. Papæ decretum de hæreticorum baptismo vindiciæ, opposita Raymundo Missorio. Jenæ 1738. Eandem denuo impugnavit Fr. Marcellinus Molkenbuhr: Binæ Dissertationes; 1. de S. Firmiliani ad S. Stephanum aliisque ejus operibus. 2. de anno quo mortuus fuerit Firmilianus, seu Paulus Samosatenus in Synodo Antiochena fuerit condemnatus. Monasterii 1790.

1 Ruinarti Acta M. M. p. 78. 80.

2. Tertullianus vero ita copiose ad locos singulorum librorum provocat, ut ex scriptis ejus canon ecclesiæ Africanæ facile colligi possit, et non nisi de paucis libris, quos reticet, hæsitandum sit. Recipit enim totam Scripturam Hebraicam[2] ut divinitus inspiratam, haud raro formula usus: *Spiritus Sanctus per Esaiam, in Psalmis, et s. p. pronunciavit*, et licet desiderentur citata e libris Ruth, Paralipomenωn, Nehemia et Prophetis Obadia et Haggæo, minime inde colligere licet, eum hosce libros repudiasse; quum nihil argumentis a silentio scriptorum petitis incertius sit, atque præterea multi libri Tertulliani ætatem haud tulerint. Complures quoque ex iis libris, quos inter Apocryphos reposuit Ecclesia Evangelica, tanquam divinos veneratur. Juditham enim Merari filiam sanctis adnumerat, de monog. c. 17. Initium libri Sapientiæ de præscr. hæret. c. 17. laudatur *tanquam de porticu Salomonis veniens*. Eundem quoque excitat adv. Marc. III. 22.; librum adv. Valentinianos, utpote qui suspicione laborat[3], ut taceamus, in cujus c. 2. una cum pluribus S. S. locis liber Sapientiæ profertur. Maccabæorum utrumque l. de præscr. c. 13. et in libro adv. Jud. c. 4. Jeremiæ epistolam (Baruch. c. 6.) excitat, Scorpiac. c. 8. de corona militis c. 10. et contra Gnosticos c. 8. Hymnum denique trium puerorum, sub Danielis nomine (adv. Hermog. c. 44.) Susannæ historiam (de corona c. 4.) et narrationem de Belo et Dracone (de idolol. c. 18. de jejun. c. 7.).

Usus est præterea Latina quadam versione libri pseudepigraphi, cujus magna in veteri ecclesia fuisse videtur fama, liber Enochi inscripti, quem divinitus revelatum, a Noacho post diluvium restitutum et ex Judæ testimonio auctoritatem nactum credidit, licet tantummodo dicat, *eum a nonnullis admitti*

---

2 Sacram scripturam sæpius *Instrumentum* vocat. *Vetus Instrumentum*. Apolog. c. 47. *Instrumentum divinarum scripturarum*. adv. c. 1. *Instrumentum utriusque Testamenti*, adv. Praxeam c. 20. ultimum vero nomen usitatius esse dicit adv. Marc. IV. c. 1. *Alterum alterius Instrumenti, vel quod magis usui est dicere, Testamenti. Novum Testamentum* adv. Prax. c. 31. Habet quoque *Digesta*, adv. Marcion. IV. 2. Apolog. c. 47.

3 De universo hoc argumento adi sis Semleri Dissertationem I. in Tertullianum, de varia et incerta librorum indole; §. 10. Editionis Tertulliani Tomo V. p. 258.

(de habitu muliebri c. 3. et de idolol. c. 4. et 15.). Idem fuisse videtur liber, quem ex Aethiopia attulit Robertus Bruce Scotus; similia c. 6. et 7. habet eorum, quæ Tertullianus de hab. mulier. c. 3. disputat [4]. Sed etsi forte ab asseclis Tertulliani, qui ab eo nomen quoque sortiti sunt, pro sacra scriptura fuerit habitus, ipse enim l. c. *scripturam* [5] eum vocat, in ecclesia tamen Africana nullam unquam nactus est canonicam auctoritatem.

Novum Testamentum recipit fere integrum, diversum tamen inspirationis singulorum librorum gradum admisisse videtur [6]. Quum vero in libris qui supersunt Epistolam II Petri [7] et III Johannis nusquam verbo tangat, de hisce quid statuerit ignoramus. Epistolam ad Hebræos *Barnabæ* adscribit, de pudicit c. 20. ubi: *extat Barnabæ titulus ad Hebræos,* eamque sæpe laudat. Valde dubium est, an Epistolas Paulinas legerit in unum jam *Apostoli* volumen collectas, quum potius usus sit codicibus priscis ante *ἀπόϛολον* editis, quod quidem Griesbachius, harum rerum arbiter peritissimus, confidenter statuit [8]. Universe libros Apostolicos docet cognoscendos *ex testimonio ecclesiarum ab Apostolis conditarum, quibusque suos libros miserunt.* adv. Marc. IV. 5. Nec suppositis Paulinis se decipi passus est. Rejecit enim (de baptismo c. 17.) quæ Paulo perperam adscripta erant, a Presbytero Asiatico, deinde fraudis convicto, ad *licentiam mulierum docendi tinguendique* defendendam conficta. Suppositium istud opus viri docti credunt fuisse *acta Pauli et Theclæ,* in veteri ecclesia famigerata [9].

---

4 Silvestre de Sacy Notice du livre d'Enoch p. 18.

5 Notandum tamen, eum librum illum Paulinum supposititium de quo agit de baptismo c. 17. *Scripturam* quoque appellare. Sic etiam de pudicit. c. 10. et de orat. c. 12. Hermæ librum *Pastor* inscriptum, *scripturam* et *scripturam fere* apellat, quem tamen de pudic. c. 20. *Pastoris mocchorum* scommate notat. Itaque Tertulliani *Scriptura* non nimis est urgenda.

6 De monogam. c. 3. et quæ ad h. l. disputat Neander Geist des Tertullian p. 241. Hæc vero Tertullianus scripsit Montanista jam factus.

7 Cf. de hac epistola Routh Rel. Sacras III. p. 167.

8 Curæ in historiam textus Græci Epistolarum Paulinarum p. 62.

9 Cf. Episc. Lincoln. Eccles. History of the 2 and 3 Centuries p. 318.

Interdum in Tertulliano, ut in aliorum quoque Patrum scriptis, occurrunt citata quasi in Sacra Scriptura exstent, quæ tamen nullo loco extant. Memoriter hæc sunt allegata. Sic laudatur Matth. XII. 37. cum additamento: *ecce homo et facta ejus,* quod in Græcis haud reperitur (de idolol. c. 20.). Ter verba leguntur: *Dominus regnavit a ligno*, in v. 10. Ps. XCVI. haud reperiunda (adv. Jud. c. 10. 13. adv. Marcionem III. c. 19.) quæ Justinus Martyr jam ante Tertullianum laudavit atque a Judæis erasa contendit. Eodem quoque modo e Levitico verba allegat (de exhort. castitat. c. 7.) *sacerdotes mei non plus nubent,* quæ cap. XXI. haud leguntur[10].

3. Cyprianus totum Vetus Testamentum recepit; e libris apocryphis librum Sapientiæ *inspiratum* existimavit (exhort. martyr. p. 182.). Tobiæ librum *Scripturam divinam* vocavit, (de oratione dominica) p. 153. dubitanter vero de eo loquitur alio loco de op. et eleem. p. 199. Siracidæ multa loca attulit. Ex capite Baruchi VI. quædam ut Jeremiæ dicta laudavit (de orat. domin. p. 141. adv. Judæos p. 35.) Maccabæorum utrumque legit, tertium Esræ genuinum existimavit (ep. 74. p. 215.). Historiam de tribus pueris in fornace ardente ut veram ex vita Danielis affert narrationem (de exhort. martyr. p. 178.). Libros Novi Testamenti fere omnes recepit: Apocalypsin, licet expressis verbis Johanni Apostolo haud tribuat, multis insignibus testimoniis ornavit (de hab. virg. p. 97. de op. et eleem. p. 202.). De nonnullis vero libris incertum an eos receperit, nam haud ab eo commemorantur. Hi autem sunt Epistola ad Philemonem, de qua tamen nullum unquam in ecclesia extitit dubium, Jacobi, Judæ, II Petri, et posteriores Johannis, quum primam tanquam unicam laudet (ep. 28.). Secundam

10 Noesselt de vera ætate script. Tertulliani III. p. 15. Edidit hæc, licet fortassis alio habitu et forma, Grabius in Spicilegio Patrum, Tom. I. Sec. I. p. 95. plane diversa ab Actis Theclæ, quorum fragmenta dialecto Sahidica conscripta e membranis Borgianis vulgavit Antonius Georgius, familiæ Eremitarum S. Augustini eximium decus, in fragmento Evangelii S. Johannis Græco-Copto-Thebaico (Romæ 1789. p. xcvii.) Hæc enim Theclam Ægyptiam ejusque fratrem Paësin, sub Diocletiano passos, respiciunt.

11 Noesselt II. p. 2.

tamen Aurelius, Chullabi Episcopus, in Concilio Carthaginiensi sub Cypriano celebrato Johanni tribuit (op. Cypr. p. 242.)[12].

4. Auctor libelli ad Novatianum hæreticum[13], qui Afer fuisse videtur, in eo tantum a Cypriano differt, quod Judæ epistolam habet; et Commodianus poeta Apocalypsin Johanni tribuit, et haud dubie Epistolam Jacobi respexit[14]. Primus vero ecclesiæ Africanæ quem habemus canon legitur in decretis Concilii Hipponensis an. 393. can. 36. in quo, præter omnes ecclesiæ Evangelicæ libros canonicos, libri Tobiæ et duo Maccabæorum recensentur[15]; qui quidem quam diversus sit a canone 60. concilii Laodiceni, qui Apocalypsin reticet[16], Henkius docuit[17].

---

12 De canone Cypriani cf. Schmidii historiam canonis p. 329. et Oelrichs de scriptoribus Ecclesiæ Latinæ p. 40. et quod ad Johannis Epistolam 2 attinet, Routh Rel. Sacræ III. p. 166.

13 Cypr. opp. Append. p. 16.

14 In Instructionum opere adv. Paganos Apocalypsin nonnunquam respexit; Instr. 25. 41. et 43. nominavit: *ut ferunt operta Johannis.* Instr. 63. *Maledicti retine linguam, unde Dominum adoras;* alludit ad Jacobi III. 9.

15 Fuchs Bibl. der Kirchenversammlungen III. p. 80.

16 Spittler über den 60sten Laodicenischen Canon.

17 De Cresconii Concordia Canonum ejusque codice manuscripto, p. 23.

CAP. XVI.

VERSIONES SACRÆ SCRIPTURÆ LATINÆ.

1. Afros, quicunque Latini sermonis essent gnari, sacras litteras Latine versas legisse dubitari nequit. Hebræam nimirum linguam ignorarunt; etsi enim Punica, qua rure et passim in urbibus utebantur, ad eam prope accederet, facile tamen intelligetur, eam tot seculorum decursu a pristina sua puritate valde deviasse, et plurima Libyca verba per commercia cum populis Libycis, qui vel easdem cum Poenis urbes habitabant, in suorum numerum recepisse. Græca plurimi nesciebant. Hoc igitur tenendum: cultiores non nisi Latinas versiones habuisse, rusticos atque Punicæ tantum linguæ gnaros nullas; nam harum ne in scriptoribus quidem Africanis ullum occurrit vestigium. Nihilo tamen secius Sacræ Scripturæ lectio magnam et eximiam cultus publici partem constituebat. Hanc, ubi necesse erat, Augustini adhuc ætate Punice peractam fuisse, ex locis CAP. V. laudatis evincitur. Quod vero, si seculo adhuc quarto et quinto evenit, quam verisimile, eandem hanc Punicæ linguæ peritiam requisitam fuisse in Episcopis, Presbyteris, Diaconis et Lectoribus sec. II. et III. rure inprimis degentibus. Si igitur totus cultus publicus in Punico, vernaculo horum hominum, sermone peragebatur, sequitur, Sacram Scripturam eadem lingua ab Episcopis Presbyterisque *tractantibus,* h. e. concionem habentibus, a Diaconis porro et Lectoribus, recitatam fuisse. Quod vero *αὐτοσχεδιαστικῶς* factum esse, nulla versione scripta adhibita, ita ut textus Latinus primum lectus Punice deinceps recitaretur, non solum rei ratio, sed et analogia docet. Idem hoc enim apud Judæos, antequam Chaldaicæ exstarent versiones V. T., obtinuit, ut verba nimirum Hebraica in Synagogis post recitatum textum originalem Chaldaice exponerentur[1]. Eadem Copticæ ecclesiæ fuit consuetudo: cujus quidem rei testes supersunt codices manuscripti Græco-Coptici, et postquam ipsa Coptica lingua in cultu divino exoleverat, Coptico-Arabici[2], qui vero omnes seriori tempore exarati

---

1 Jost Geschichte der Israëliten IV. p. 19.

2 Renaudot liturgiæ antiquæ I. p. 203. Eadem hæc de antiquissimis versionibus Latinis conjectura arridet Ven. Leandro ab Ess in libro bonæ frugis pleno, Pragmatischkritische Gesch. d. Vulgata p. 5.

sunt. Unde valde fit probabile, sacras pericopas, antequam calamo exciperentur ab hominibus utriusque sermonis, in Africa ergo Latini atque Punici, gnaris inter recitandum αὐτοσχεδιαςικῶς versas fuisse. Quantum vero difficultatis, quot impedimenta rei Christianæ in Africa propagandæ ipse hic defectus versionum scriptarum, ipsa hæc linguarum diversitas movere debuerit, quanta laboris patientia opus fuerit ad eas superandas, quantoque cum successu Evangelii præcones arduum hoc opus adgressi fuerint, haud sine admiratione agnoscet, quicunque de magno numero ecclesiarum, Cypriani et multo magis Augustini tempore in urbibus, oppidis et rure florentium, cogitaverit. Ex orali igitur doctrina apud Christianos ex Punica stirpe oriundos omnia pendebant. Hi catechesi instituebantur atque sermonibus: propriæ lectioni nullæ fere fuerunt partes. Carthagine autem et in majoribus urbibus Latina lingua ob omnibus intelligebatur. Hinc quoque apparet, in coetibus Christianorum hac lingua cultum publicum peractum, sacrosque textus Latine versos recitatos, et procedente tempore calamo exceptos fuisse.

2. Sed de indole harum versionum luculentissimum extat Augustini testimonium, qui ipse fuit Afer et in Africa scripsit; qui ergo, quum de versionibus Latinis loquatur, in Africa factas intelligit. *Ut enim cuique primis fidei temporibus* (inquit de doctr. Christiana lib. II. c. 11.) *in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Multæ itaque extiterunt versiones Latinæ, non dicam totius S. Codicis, sed singulorum librorum, non a clericis unice verum forte a laicis quoque verbi divini studiosis[3], et, quod Ridleyo lubens dabo, a Judæis ad Christum conversis vel etiam a Poenis factæ, haud parum discrepantes, id quod ipsi textus a Tertulliano, Cypriano et Augustino allegati luculenter evincunt[4]. Nam Hebraismi in hisce versionibus haud raro occurrunt, ex vernacula interpretis lingua facillime explicandi. Neque hoc dissidium

---

[3] Probabilem hanc conjecturam ven. v. Ess proposuit l. c. p. 5. de Latinis versionibus universe agens.

[4] Exempla harum varietatum collegit Hugius in egregii libri: Einleitung in des N. T. editionis tertiæ I. p. 459. sequ.

fugit Patres Latinos. Nam Augustinus fatetur (de doctr. Christiana L. II. c. 11.). *Latinæ linguæ homines ad scripturarum divinarum cognitionem opus habere Hebræa ac Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum varietas.* Sic quoque ibid. c. 14. *Linguarum illarum, e quibus in Latinam Scriptura pervenit, petendam esse cognitionem* docet, et c. 16., *libros Novi Testamenti, si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere, dubium non esse* contendit. Sed et meliores versiones consulendas esse censet. Eodem enim capite: *in hisce sententiarum varietatibus dubitationem dijudicandam esse* statuit *ex aliarum regionum codicibus, unde ipsa doctrina commeavit,* hoc est, ex codicibus versionum, quæ in Italia factæ sunt; cogitat vero procul dubio de *Itala* illa, quam magnopere commendat, ut *verborum tenaciorem cum perspicuitate sententiæ.* Procul vero abfuit quin ille omnium primus hancce versionum varietatem animadverteret deque ea doleret; eodem enim seculo, quo versiones Latinæ, eæque reliquis haud dubie antiquiores, in Africa factæ sunt, Tertullianus illius vel illarum, quibus usus est, a Græca veritate dissensum notavit. Loquitur enim de *callida et simplici eversione,* sic paronomastice de mala versione, qua vitiatus fuerit locus 1 Cor. VII. 39. (de monogam. c. 11.)[5]; fortassis quoque eandem indicat ad. Praxeam. c. 5. ubi Geneseos initium ex quorundum sententia sic habere refert: *in principio Deus sibi fecit filium.* Dissensionem versionis Latinæ a textu Græco notat quoque adv. Marcionem II. 9. V. 4.; unde patet eum Græcos etiam codices ad manum habuisse. Malam porro illam versionem c. 11. de monog. notatam Tertullianus *in usum exiisse* ait. Recepta igitur ejus ætate fuit in ecclesia Carthaginiensi, haud tamen reliquis versionibus exclusis. Nihil igitur mirum, si non hac unice versione doctorem Afrum usum esse, sed eum plures quoque versiones, quas in codicibus suis reperiret, excitasse inveniamus. Haud enim raro idem dictum biblicum sæpius adfert, interdum vero diversis verbis. Hujusmodi variantium multa exempla

---

5 Semlerus in appendice observationum Westenii Prolegom. p. 588. legendum censet *callidam et simplicem emersionem;* quæ vero emendatio viris doctis haud placuisse videtur. Nec video quid juvet?

præbebit Index locorum Scripturæ Sacræ Semlerianus; in quo multi loci, quos ex duobus codicibus hausit, cum aliqua diversitate recensentur. Speciminis causa apponimus ea, quæ e Genesi, Psalmis, Esaia, Matthæo, Johanne et 1 Corinth. excerpsimus:

Genesis. I. 1. 2. 27. 28. III. 19. XLIX. 5. 6.

Psalmi. I. 1. II. 2. IV. 5. VIII. 6. IX. 19. XVIII. 4. XXI. 6. 18. 22. LXIV. 7. LXXXIV. 5. XCVI. 3. 5. CIII. 5. CIX. 4. CXII. 6. CXIV. 4. CXV. 5. CXVII. 9. CXVIII. 6.

Esaias. I. 2. 4. 8. 17. 18. II. 1. 4. 19. III. 1. VI. 10. XI. 2. XXIX. 14. XL. 8. 9. XLII. 3. 4. 6. XLIII. 18. 19. 25. XLV. 7. XLVI. 12. L. 4. LII. 7. 11. LIII. 2. 3. 4. 9. 12. LV. 3. LVII. 1. 2. 16. LVIII. 7. LXI. 1. LXIII. 9. LXV. 12. 14.

Matthæus. III. 9. V. 32. VI. 13. X. 22. 23. 28. 30. 33. 38. 39. XIX. 17. 26. XXII. 30. XXIV. 38. 41. XXVIII. 19.

Johannes. I. 1. 14. 32. III. 5. IV. 34. V. 35. 40. 44. VI. 68. VIII. 55. XVI. 12. 14.

1 *Corinth.* I. 25. 27. 28. II. 16. IV. 15. VII. 1. 12. 39. IX. 14. X. 4. 11. XI. 15. 19. XIV. 34. XV. 22. 33. 39. 42. 48. 53.

Plura, cui hæc non sufficiunt, ex aliis Veteris et Novi Testamenti libris dabit Index laudatus. Nec in duabus tantum ejusdem loci variis lectionibus recensendis subsistit; tres nonnumquam habet: unde colligo, Tertullianum tres vel plures interdum integræ S. S. vel singulorum librorum codices, diversas versiones continentes, manibus tractasse; cujus rei exempla dabit Index Semlerianus in Esaiæ I. 14. L. 6. LIII. 7. 1 Cor. VI. 12. XV. 50. Apocal. I. 6. Lectiones quoque singulares, si qui accuratius investigare volent, haud dubie invenientur, quarum una sese mihi obtulit Ezech. IX. 4.[6]. Neque aliter res se habuit pro-

---

6 Adv. Marcionem III. c. 22. Sic enim habet vetus versio quam Tertullianus sequitur: *Pertransi in medio portæ, in medio Hierusalem, et da signa Tau in frontibus virorum.* Illud vero Tau (*Ταῦ* litteram) omnes Latini scriptores, qui hunc Ezechielis locum excitant, omittunt. Codex, quo usus est Septimius noster, secutus videtur Theodotionem et alteram Aquilæ versionem, quam Origenes laudat.

cedente ætate ad Augustini usque tempora, qui sæpius de multitudine et varietate versionum Latinarum, Africanis certe haud exclusis, queritur[7].

Qui autem fuerint fontes, e quibus istæ versiones adeo discrepantes manaverint, et illi inprimis e quibus hausti sunt libri Novi Testamenti Latine facti, non hujus est loci accuratius examinare. In Evangeliis secuti videntur antiquiorem illam recensionem, quæ Orientalis a Griesbachio vocatur, vel *κοινὴν* illam *ἔκδοσιν* secundum Hugium[8]; in Epistolis forsitan codices ex *Ἀποςόλῳ* auctos, quorum tenaciores erant Latini, quod eos nulla corruptionis suspicione laborare putarunt, quum Græci contra præferrent ipsa *τοῦ Ἀποςόλου* antigrapha[9]. Sufficiat nosse, fontes, etsi antiquissimos, fuisse vitiatos, id quod Tertullianus jam agnovit[10]; nec opus esse, ut de interpolationibus ex industria factis cogitemus, nisi in paucis nonnullis locis horum codicum Latinorum, in quibus sectarum diversa studia forsitan intervenerunt[11], quæque jam indigitavit Tertullianus libro de præscr. c. 38. *Illuc igitur et scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi, necessitas instituit aliter disponendi instrumenta doctrinæ.* Neque vero ipse Tertullianus hujus vitii expers videtur. Saltem ejusdem vestigia iis in locis, in quibus Irenæum exscripsit, invenerunt viri docti[12]; nam Catholici illo tempore nimio plus indulgebant suis de corrupto per hæreticos sacrorum librorum textu suspicionibus, iisque interdum alias lectiones opponebant ex sua persuasione cum vera doctrina consentientes. Tertullianus vero a piæ fraudis crimine maxime absolvitur eo, quod ipsas versiones quas in manibus habebat cum Græcis comparavit, et falsitatis arguit (l. c. de monogamia c. 11.). Interdum tamen Græcis codicibus, ubi variantes invenit lectiones, diffidit, easque hæreticorum tribuit malitiæ v. c. Joh. I. 13. Gal. II. 5. Hebr. VI. 4. sequ.

---

7 Locos Augustini collegit L. v. Ess. l. l. p. 10. et 11.

8 Hugs Einleitung in das N. T. I. p. 164. et 466.

9 Griesbachii Curæ in textum Paulinum p. 70.

10 Dicit enim de monogam. c. 11. *sciamus plane non sic esse in Græco authentico.*

11 Adv. Marcionem Lib. V. c. 4. et de Præscription. c. 38. Cf. quoque L. v. Ess. Geschichte der Vulgata p. 60. sequ.

12 Griesbachii Curæ p. 84. 89.

Glossas et interpretationes in textum admisit v. c. Joh. III. 6.[13], suaque auctoritate et exemplo Patres Latinos qui post eum floruerunt in eundem errorem traxit.

De iis igitur versionibus, quibus usus est Tertullianus, Semlerus hoc fert judicium[14]: eas verbis Græcis adhærere; v. c. scribere *Elæonem, Prophetes, duricordia, nullificet, placibilis, Samarites, litterator, genimina viperarum, salutificator*[15], *confitebitur in me, munditenentes, conformale corpori, supervincimus, supergressum in supergressum, qualis choicus tales et choici.* 1 Cor. XV. 53. etc.; interpretationes simul immiscere, v. c. Joh. III. 6. (de carne Chr. c. 17.) 1 Joh. IV. 3. (c. Marc. V. 16.) 1 Cor. VI. 20. (de pudic. c. 16.).

3. Quæ vero ex illis versionibus Latinis, quibus utuntur patres Africani, quarumque fragmenta, a Sabbaterio inprimis studiose collecta, in eorum operibus supersunt, e transmarinis regionibus in Africam advectæ, aut in ipsa hac provincia a Christianis Afris, a doctoribus majorum ecclesiarum aliisque translatæ fuerint, equidem decidere haud ausim: attamen, ubi accuratius examinabuntur, atque cum latinitate Apuleji, forte etiam Frontonis, et Patrum Afrorum componentur, haud dubito quin in nonnullis indoles sermonis Africani deprehendatur. Cujus generis fortassis erunt, præter plura verba mox adlata, sequentia:

Gen. I. 2. *terra incomposita.* 27. *ad imaginem et similitudinem vivacitatis suæ.* 29. *fœnus sementivum.* 11. 21. *amentia* pro exstasi; et *fines ævorum* 1 Cor. X. 11. *incorruptio,* in aliis *incorruptela,* et *incorruptivum,* 1 Cor. XV. 53, 56. *Virtus autem delinquentiæ lex* ibid. v. 56. Universe attendendum est ad verba Augustini de doctrina Christiana II. c. 11. quæ de Africanis quoque versionibus valent: *ut cuiquam in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari;* unde intelligitur, quid sibi *velit tanta Latinorum interpretum*

---

13 Semleri Dissert. in Tertull. I. Opp. V. p. 255.

14 Ibid. p. 589.

15 Afri multa nova verba a verbo *facio* derivarunt, ex. gr. *castificare, factimenta, naturificatus, nullificamen, sanctificium,* aliaque, quæ in Tertulliano leguntur. Indicem Latinitatis Tertull. Semlerianum.

imperitia, quam Doctor Hipponensis carpit [16], nimirum plebejus atque omni elegantia destitutus ille quo utuntur sermo.

Attamen, quum Latinus Afrorum sermo a reliqua Latinitate dialectice haud differret, diversorum codicum lectiones apud Patres promiscue occurrant, atque Galli et Romani versionibus Africanis æque ac Afri uti potuerint; hæ versiones ne quoad singulas quidem partes restitui unquam poterunt.

Eodem modo, quo Tertullianus diversos codices varias lectiones exhibentes manu versavit, Cyprianus quoque manuscriptos habuit libros et inter se et cum codicibus Tertullianeis discordes [17]. Nullum igitur ecclesiæ auctoritate *receptum* in Africa *fuisse textum* colligimus, neque hujusmodi extitisse Augustini ætate, qui sæpius de varietate lectionis in codicibus suis queritur.

4. Duo autem sunt inprimis, quæ ex hac versionum atque lectionum varietate de prisco Ecclesiæ Africanæ statu, si quid recte video, colligentur.

1) Primo: Religionem Christianam mature jam non Carthagine tantum, sed in aliis quoque urbibus, inprimis maritimis, ut Lepti, Uticæ et Hippone Regio, ad quas facili negotio hospites adpellerent, nactam fuisse multos asseclas Latine loquentes, quibus opus fuerit S. S. et a quibus vel quorum in usum exemplaria Latina conscripta fuerint.

2) Sed priscos illos coetus per magnas provincias sparsos initio parum cohæsisse, quia alias unus cum altero sua exemplaria certo certius communicasset. Majorem autem nexum indeque enatam concordiam eos vix iniisse multo ante Agrippinum tempore, ad exitum vergente sec. II., quum mos synodorum habendarum, in Asia minori ortus, a Græciis in Africam delatus esset, de quibus vero Synodis inferius agetur.

De usu denique S. S. apud Afros observandum est, exemplaria totius codicis aut singulorum librorum non tantum apud Episcopos vel Lectores eccle-

---

16 Epist. ad Hieronymum. Cf. Leandri v. Ess Geschichte der Vulgata p. 11.

17 E Patribus serioris ætatis Lactantium in excitandis locis S. Codicis Cypriano inprimis consentire, docuit H. J. Spyker in specimine inaugurali de pretio Institutionibus divinis Lactantii statuendo. (Lugd. Bat. 1820.) p. 30. Idem hoc observavi de Jul. Firmico Materno, qui libro de erroribus profanarum religionum a me nuperrime edito eundem fere

siarum adservata, sed in manibus quoque Christianorum fuisse, qui Latina intelligerent, litterasque didicissent. *Ubi fomenta fidei,* inquit Tertullianus ad uxor. Lib. II. 6. *de scripturarum interlectione?* si nimirum maritus et uxor diversæ essent religionis, ideoque communia sacra domestica colere haud possent. Et libro de corona milit. c. 1. ubi de pavore Christianorum ob renovandam persecutionem loquitur, addit: *nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem.* Quæ quidem priora verba subobscura cum Dallæo et Zornio intelligo de studio codices S. S. clam amandandi in persecutione [18]. Cyprianus Donatum laicum nobilem divitemque hortatur, ut precibus et lectioni incumbat (ad Donat. p. 9.). In libro de zelo et livore p. 227. præcipit: *sit ante oculos divina lectio.* Idem hoc præfat. libri testimon. adv. Judæos p. 18. svadet, ut etiam libro de spectaculis, si modo est Cypriani opus, id quod incertum. Commodianus, Gentilis, sibi ipsi fuit conversionis auctor, dum ad sacrarum literarum studium incumberet [19]. In persecutionibus autem Christianos Afros sacram scripturam minime occultasse constat, cum ex responsione Sperati Martyris Scillitani, libros quos Christiani colerent esse *quatuor Evangelia, Epistolas Pauli et omnem divinitus inspiratam scripturam,* tum quoque ex Tertulliani Apologetico c. 31. ubi: *Inspice Dei voces, literas nostras, quas neque ipsi supprimimus, et plerique casus ad extraneos transferunt;* sequuntur allegationes ex N. T. inprimis Evangelio Matthæi Paulinisque Epistolis. Ex quibus omnibus valde fit probabile, in Africana Ecclesia mature fuisse librarios, apud quos libri sacri venum prostarent, ita ut non solum clerici, sed et laici, quibus Sacra Scriptura curæ cordique esset, exemplaria emere potuerint; neque sumtibus pepercisse Afros, inter quos tot erant homines divitiis affluentes, ex locis laudatis colligi posse videtur.

Textum sequitur, quem Cyprianus in Testimonior. adv. Judæos libris habet.

18 Dallæi D. adversus Latinorum de cultus relig. objecto traditionem L. I. c. 25. Zornii histor. Bibl. manual. p. 19. Quæ Walchius vom Gebrauch der h. Schrift p. 55. contra monet, respici præceptum Christi Matth. X. 24. et *emigrare* esse idem ac *transgredi,* obscuritatem loci nostri haud pellunt.

19 Instruct. in præfatione v. 4.
Ego similiter erravi tempore multo,
Fana prosequendo; parentibus insciis ipsis,
Abstuli me tandem inde, legendo de lege.

CAP. XVII.

DOCTRINA PUBLICA.

1. Doctrina publica Ecclesiæ Africanæ eadem fuit quæ reliquarum Orientis et inprimis Occidentis ecclesiarum; quamobrem de ea prolixe disserere supersedemus. Neque Theologiam Tertulliani in novum examen revocabimus, licet doctrinam Christianam terminis theologicis auxerit magnæque fuerit auctoritatis in constituendis variis dogmatibus. Hæc enim ad historiam cum dogmatum tum disciplinæ morum pertinent, ab harum rerum historicis diligenter enarratam [1]. Unicum igitur, quod nostrarum partium esse censemus, versatur in *Regulis fidei*, quas habuit prisca Ecclesia Africana; quippe quæ, tametsi Sacræ Scripturæ summam in rebus religionem spectantibus agnosceret auctoritatem, hanc tamen non unicam esse, sed cum universa prisca Ecclesia idem jus *traditioni Apostolicæ* competere statuit. *Hæc regula,* verba sunt Tertull. de præscr. c. 13. *a Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt et quæ hæreticos faciunt.* Hanc Apostoli doctrinam promulgaverunt, *ac proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ ceteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant.* ibid. c. 20. Eodem quoque sensu de traditione agit liber de corona militis c. 3.[2].

Censet præterea, cum hæreticis non ex scriptura sed ex regula fidei disputandum esse, ipsamque librorum N. T., v. c. Evangelii Lucæ et Epistolarum Paulinarum, auctoritatem pendere ex illorum cum regula fidei apostolica consensu (adv. Marc. IV. 2.).

---

[1] Præter scriptores Historiæ Dogmatum antiquioris, de Tertulliano consulendi sunt C. C. Birchii Dissertatio quosdam ex Tertulliano collectos atque illustratos locos theologicos sistens. Hafniæ 1790. Münscher über Tertullians moralische Vorstellungen, in Horrei Henkiani Vol. VI. et Episcopus Lincoln. in historia Eccles. ex Tertulliano a p. 262-369.

[2] Tertull. de traditione sententias vide ap. Neandrum, Geist des Tertullians p. 100. 104. 327. 329. et Episc. Lincoln. p. 290.

2. Hanc quidem fidei regulam, *unam omnino*, quam *solam, immobilem et irreformabilem* prounnciat, exhibet lib. de velandis virginibus c. 1.[3].

Credendi in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in coelis, sedentem nunc ad dexteram patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem.

Hancce quidem regulam fidei, licet in ea omissa sint dogmata de Spiritu Sancto, de ecclesia, deque vita æterna, quæ Symbolum Apostolicum continet, et quæ sine dubio ultimis verbis a Tertulliano haud allegatis addita fuere, *publicam* credo cum Walchio, ipsis Tertulliani verbis, quod sit *una, sola, immobilis, et irreformabilis,* nixus; quamvis bene sciam, Tellerum in privatis numerare[4], quia Tertullianus suis verbis primaria tantummodo capita per compendium exhibere velle videatur. Sed etsi fortassis singula capita per compendium expressa, et clausula omissa fuerit, tota tamen hujus fidei regulæ indoles canam antiquitatem spirat, cum Symbolo, quod Apostolicum dicitur, egregie consentit, et longe brevior est aliis duabus quas exhibet libro contra Prax. c. 2. et de Præscr. c. 13. exigua fragmenta Apol. c. 18. et Præsc. c. 36. servata ut plane mittamus. Regula fidei apud Cypriaunm ep. 69.[5] ad Magnum, quam Carthaginiensis ille præsul testis est recitatam, vel potius interrogando et respondendo publica professione exhibitam fuisse[6] dum baptismus conferebatur,

---

3 Binghami Orig. IV. 83. 84. et Walchii Bibl. Symbolica p. 7. sequ. ubi omnia Symbola, quæ Tertullianus habet, leguntur.

4 Historia fidei Dogmatis de resurrectione p. 138.

5 Walchii Bibl. Symbolica p. 13.

6 *Quod si aliquis illud opponit, ut dicat eandem Novatianos legem tenere . . . . eodem symbolo, quo et nos, baptizare: eundem nosse Deum patrem, eundem filium Christum, eundem spiritum sanctum .... sciat ...... primum, non esse unam nobis et schismaticis symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam quum dicunt: credis remissionem peccatorum et vitam æternam per sanctam ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habent ecclesiam.* ed. Felli p. 183. *Ipsa interrogatio,* inquit alio loco, *quæ fit in baptismo, testis est veritatis: nam cum dicimus: Credis in*

adeo est manca, ut nil inde effici possit. Eam nimirum unice adfert adversus Novatianos, qui eodem symbolo quo Catholici in baptismo conferendo utebantur. Unicam illam habet hæc, et epistola Cypriani et Episcoporum, qui Concilio Carthaginiensi interfuerunt, ad Numidas 70: *Credis remissionem peccatorum et vitam æternam per sanctam Ecclesiam*[7]. Sed duæ antiquissimæ regulæ fidei leguntur, ni me omnia fallunt, apud scriptores Africanos pluribus seculis recentiores. Vigilius nempe Tapsensis l. XII. de Trinitate p. 799. Bibl. P. P. Tomo VIII. ad sacrum lavacrum venientes hanc formulam confiteri ait: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus unigenitam. Et in Spiritum Sanctum.* Cujus simplicitas brevitasque ævum Apostolicum redolere videtur[8]: et Facundus Hermianensis, qui fragmentum tantum habet in epistola fidei Catholicæ[9].

> *Credimus in unum Deum patrem omnipotentem et in unum Dominum Jesum Christum filium ejus, natum ex Spiritu S. et Maria Virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus: tertia die surrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos et mortuos.*

quam quoque fidei regulam in publicis numeratam fuisse, ex Facundi verbis patet, quæ de formula baptismali agunt. De iis Symbolis, quæ in operibus Augustini leguntur, excepto primo, quod plane est Apostolicum et Hipponensis Ecclesiæ (Sermone 230 et alibi) ex Italia procul dubio advectum, forte ab ipso Hipponensi Doctore, licet reliqua quoque similia sint Apostolico, nil statuendum est, quia sunt ex monumentis Augustino aut falso aut certe dubio judicio ad-

---

vitam æternam et remissionem peccatorum, etc. Epistola Synodica ad Numidiæ Episcopos p. 190.

7 Vox *unam* in hocce symbolo, ut in reliquis omnibus antiquissimis, desideratur, licet Cyprianus *unitatem Ecclesiæ* acriter defendat. Primo autem occurrit in Symbolo Ecclesiæ Hierosolymitanæ apud Cyrillum Hierosol. Cf. Walchii Bibliothecam Symbolicam p. 43. Cypriani de unitate ecclesiæ sententiam, examinatam a Weikero in Aphorismen ü. Cyprian, exhibent Illgenii Historisch-theologische Abhandlungen, dritte Denkschrift. (Lipsiæ 1824.).

8 Walch. I. c. l. p. 69.

9 Sirmondi Opera Tom. II. p. 846.

scriptis[10]. Unice heic notandum, Augustinum sæpe testari: *Symbolum non scribi, nec legi, sed audiri et memoria fideli retineri*[11]. Hinc minutæ in singulis varietates facile explicantur. Neque dubium, quin iste mos ex antiquissima ætate repetendus sit: erat enim Symbolum tessera fidelium, et in Africa quoque, non Romanorum tantum sed et Poenorum; unde certam ducimus conclusionem, illud *Punice* quoque recitatum fuisse a Poenis ad Christi ecclesiam accedentibus, ut et horum Catechumenorum institutionem Punice peractam fuisse a Presbyteris atque Diaconis, quibus id muneris demandatum erat.

3. Et hæc quidem fuit publica Ecclesiæ Africanæ fides, æque simplex atque pura ac reliquorum per Europam Asiamque sparsorum coetuum professio. Verum enimvero haud omnes Christianos eam amplexos fuisse sine fæcibus pristinæ superstitionis, vel absque testimoniis historicis conjicere licebit cuivis, qui ad ingenium Afrorum et universe hominum parum cultorum paulisper respexerit, cogitaveritque de notionibus ex Paganismo et Christianismo mixtis, quas apud alios homines recens ad Christum conversos animadvertimus. Sic, ut e veteris ecclesiæ historia exempla adferamus, ex Origenis scriptis valde fit probabile, fuisse Christianos, qui perinde esse statuerent, utrum summum numen Deus appelletur, an Jupiter vel Apollo[12]. De Collyridianis, fanaticis sec. IV, constat, eos cultum Cereris cum veneratione b. Virginis miscuisse[13]: et historia conversionis populorum Scandinavicorum docet, multos, qui in Anglia signaculo crucis accepto Catechumenis adscripti fuissent, post reditum in patriam Odinum Thoronemque ut numina πατρῷα coluisse[14]. Itaque, si simile quid in Africa reperietur, neutiquam mirari subibit. Et jam CAP. II. artes ostendimus magicas, incantationes, vaticinia non Afros tantum ethnicos, sed Christianos quoque labe sua adspersisse; quod quidem primis post Christum seculis tanto frequentius clero Christiano justissimam querelarum causam præbere debuit, quum exeunte

10 Walch. l. c. p. 66.

11 Ibid. p. 65.

12 Orig. adv. Celsum IV. c. 48. V. c. 41. ed. Ruæi. Tom. I. p. 540. et 609. ejusd. exhort. ad Martyres ibid. 305.

13 Miscellanea Hafniensia, Tomi I. fascic. II. p. 155.

14 Vide historiam introductionis Religionis Christianæ in Daniam atque Norvegiam theotisce a nobis editam p. 255. 361.

seculo IV hasce superstitiones nondum abolitas et oblivioni traditas fuisse cernamus. Alias enim haud opus fuisset, ut canon 89, qui Synodo IV Carthaginiensi vulgo tribuitur, *de his qui auguriis vel incantationibus vel Judaicis superstitionibus serviunt,* legem tulisset. Sed cultum quoque Astartes vel Tholathæ vix longo ante Augustinum atque Salvianum Massiliensem tempore inter Christianos Afros plane desiisse, itaque antiquiori ætate multo magis valuisse, et non quidem apud plebeculam, sed inprimis apud nobiles, testis est idem Salvianus libro VIII. de Gubernatione Dei c. 2. p. 187. Baluz. *Tolerabilior,* ita enim ait, *quippe est et minus nefaria gentilitas in hominibus professionis suæ. Illud perniciosius ac scelestius, quod multi eorum, qui professionem Christo dicaverant, mente Idolis serviebant. Quis enim non eorum, qui Christiani appellabantur, Coelestem illam* — quam brevi ante *intestinum Afrorum scelus* appellaverat — *aut post Christum adoravit, aut, quod pejus est multo, antequam Christum? Quis non dæmoniacorum sacrificiorum nidore plenus divinæ domus limen introiit, et cum foetore ipso dæmonum Christi altare conscendit, ut non tam immanis criminis fuisset, ad templum Domini non venire, quam sic venire?* .... *Ecce quæ Afrorum, et maxime nobilissimorum fides, quæ religio, quæ Christianitas fuit! Dicebantur Christiani ad contumeliam Christi.* Ex hisce Salviani verbis, omni rhetoricatione demta, vix aliud colligi poterit, nisi, haud ita multis ante eum annis fuisse in Africa qui Christum et Astarten simul colerent. Quæ quidem ejus verba admonent epistolæ illius, quam Hadrianus Augustus ad Servianum ex Ægypto dedit, a Vopisco in vita Saturnini p. 959. Schrevel. servatam, in qua Imperator: *Illi, qui Serapin colunt, Christiani sunt, et devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt;* licet minime statui possit, etsi nonnulli Christiani Ægyptii cultui Serapidis haud plane valedixissent, Christianos quoque episcopos, quos ceteroquin eo tempore Ægyptus, præter unum Alexadrinum, haud habuit[15],

[15] Eutychii Patriarchæ Alexandrini Origines ecclesiæ suæ ed. Jo. Seldeni (Londini 1642.) p. xxx. Refert is Patriarcham a duodecim Presbyteris consecratum fuisse, atque hunc morem perseverasse usque ad tempora Alexandri, qui Nicæno Concilio interfuit. Idem fere habet Hieronymus ep. 102. (al. 85.) ad Evangelum: — *quod autem posteà unus electus est, qui ceteris*

eo turpitudinis prolapsos fuisse. Ceterum non est quod de hac epistola, quam aliis jam locis tetigimus, sententiam nostram dicamus. Nam quidquid de ea, ab Imperatore rerum Christianarum haud gnaro scripta, statuatur, hoc utique fidem haud infringit Salviano Massiliensi Presbytero Christiano habendam. Tentandum unice nobis est, quo probabili modo explicari possit ille quem memorat Astartes cultus, cum Christi adoratione a priscis Afris conjunctus. Dicam quod sentio. Veteres Carthaginienses coluerunt duos illos magnos Cabiros, apud eos Toladum et Tholatham appellatos; illum a prisco inde tempore humanis hostiis placarunt, hanc naturæ matrem lascivis moribus venerati sunt. Procedente vero tempore, ut lapides Leidenses CAP. II. allegati indicare videntur, cum Baale vel Tolado in unum numen coaluit Tammuz, vetustissimus ille Phoenicum Deus, qui vero ipse æquo jure ac Baal solis habebatur incarnatio atque figura [16]. Mysticum fuisse numen, ex mysteriis in ejus atque Astartes sacris celebratis patet. Jam vero cum comparatio inter eum, Solis symbolum, Christumque Dominum, qui se ipse *lumen mundi* (Jo. VIII. 12.) dixerat, quemque Christiani *Solem justitiæ nostræ* (qua quoque de causa Christus a veteribus Christianis haud ita raro Apollini assimilatur [17]), salutabant [18], et Solis astro sæpe componebant, tum cruenta Adonidis mors ejusque in vitam reditus rudes Christianos in gravissimum illum errorem inducere potuit, ut eundem esse

---

præponeretur, in schismatis remedium factum est. Nam et Alexandriæ a Marco Evangelista ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent. Vide præterea quæ p. 50. et 55. notavimus.

16 De Adonide vide sis amicissimi Creuzeri Symbolik und Mythologie der alten Völker II. p. 91. sequ.

17 Vide eruditum Wernsdorfii Helmstadiensis excursum XII. ad Licentii Carmen ad Augustinum, in quo v. 32. de Christo.

.... Tibi, noster Apollo
Corda replet, patremque suum, patremque Deorum
Conciliat.

In Poëtis Latinis minoribus Tomi IV. Parte posteriore p. 797. sequ.

18 Wernsdorfii Dissertatio de Natalibus Invicti.

Christum ac Adonidem sibi persuaderent: quo semel errore imbuti, naturæ Deam, magnam veluti matrem, pro Adonidis, quatenus erat Sol, matre habere, et cum Maria χριςοτόκῳ confundere, atque hanc sub illius specie adorare potuerunt æque ac Collyridianæ illæ, atque Christiani inter Arabes, de quibus Saraceni tradunt, eos b. Virginem numinis instar habuisse et coluisse [19]. Hoc quidem ariadneo veluti filo ex istis tenebris evasuros nos esse arbitror, salvo tamen doctiorum judicio! At vero plebeculam istiusmodi comparationum ex mystica Paganorum theologia haustarum haud fuisse capacem, harum rerum periti facile mihi largientur. Itaque nil mirum, si Salvianum de *Afrorum et maxime nobilissimorum fide* loquentem audiamus. Hi enim, spreta vulgari superstitione, mysticam adamabant, Isidique, quæ erat Astarte, ut Arrius Balbus in lapide illo Capuano: TIBI QVAE ES OMNIA DEA ISIS [20], vota nuncupabant. Quare etiam Astarte a Cypriis ἐλεήμων [21], atque Isis ab Ægyptiis ⲚⲎⲒⲈ, h. e. ⲚⲀϨⲒⲀ v. ⲚⲀⲎⲦ, quod idem sonat [22], salutabatur. Et de Senatore, qui fuerat Consul, et a Christi religione ad cultum Astartes defecerat, habemus carmen auctoris certe Africani, licet neque Tertulliano neque Cypriano sit attribuendum. Sed canæ antiquitatis Christianæ tempora redolere, eo lubentius mihi persuadeo, quum in eo nihil occurrat quod indicet, hunc hominem persecutione ad deserendum Christum compulsum fuisse: unde pacatis eum temporibus, qualia vel ante Tertullianum vel inter hujus atque Cypriani ætatem fuere, ad altaria Deæ Coelestis iterum deflexisse conjicio.

Ita vero incipit carmen:

Quum te diversis iterum variisque viderem
Inservire sacris, priscoque errore teneri;
Obstupui monitus: quia carmina semper amasti,
Carmine respondens properavi scribere versus;

---

19 Miscell. Hafniensia l. l. p. 160.

20 Religion der Karthager p. 67.

21 Hesychius s. v.

22 Ita legitur hæc vox in Psalterio Coptico Psalm. LXXXV. 15. Lucæ VI. 36., et sæpius in versione Psalmorum et N. T. Memphitica. Versio Sahidica eam, quatenus innotuit, plane ignorat.

Ut te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim, te matrem credere magnam
Posse Deam dici, rursusque putare colendam,
Cujus cultores infamia turpis inurit?

et post 25 versus:

Rumor et ad nostras pervenit publicus aures,
Te dixisse: Dea, erravi, ignosce, redivi[23].

Ceterum nil continet hoc carmen, quo ad rem nostram illustrandam uti possimus. Quæ ad superstitiones Carthaginiensium Romanorum penitius cognoscendas faciunt, passim tetigi in Religione Carthaginiensium.

CAP. XVIII.

CULTUS PUBLICUS.

1. Quum nulli sit dubitationi obnoxium, quin cultus publicus in prisca ecclesia, deficientibas quamvis liturgiis proprie sic dictis, fere idem ubique fuerit; in iis tantum heic subsistendum nobis erit, quæ vel primum in Africa orta vel Africanæ Ecclesiæ peculiaria fuisse videntur. Diem dominicum Afri ut ceteri omnes Christiani pie celebrabant. Hoc vero primum in eorum coetibus invaluisse videtur, quod Paschali tempore, inprimis autem diebus dominicis, ab omnibus secularibus negotiis sese abstinerent: *differentes etiam negotia,* inquit Tertullianus, *ne quem diabolo locum demus*[1]. Notandum præterea, utraque lingua, cum Latina tum Punica, usos fuisse priscos Africæ Christanos: Latina quidem Carthagine aliisque in urbibus, a Romanis inprimis habitatis, qui haud raro Punici idiomatis plane ignari erant; cujus quidem rei, per se satis certæ, documentum exhibet Augustini sermo XIV, ubi Hipponensis Doctor:

23 In poematibus post Append. opp. Cypriani p. 3. et 4.

1 De oratione c. 23.

proverbium est Punicum, quod quidem Latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis; Punica vero minoribus in oppidis, vicis et rure. Et huc quoque facit alius Augustini locus (de peccatorum meritis et remissione Lib. I. c. 24.): *optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam* SALUTEM, *et sacramentum corporis Christi nihil aliud quam* VITAM *vocant;* quæ quidem hebraica יְשׁוּעָה et חַיָּה, quod posterius occurrit in secunda Inscriptione Citiensi, ab Åkerbladio illustrata [2], esse videntur.

2. In *ritibus baptismi,* quos Tertullianus refert de corona mil. c. 3. nonnulla observavi Afris aut peculiaria aut primo ab iis recepta. Et primo quidem observandum, *aspersionem aquæ,* licet immersio trina receptus fuerit totius ecclesiæ et Africanæ quoque [3] ritus, haud plane iis incognitam fuisse. Ad hanc enim adludere videntur verba Tertulliani de poenit. c. 6: *quis enim tibi tamen, infidæ poenitentiæ viro, adsperginem unam cujuslibet aquæ commodabit?* quam autem aquæ adspersionem in Africana Ecclesia pro legitimo habitam fuisse baptismo, si clinicis administrata fuisset, verba quoque Cypriani indicant ad Magnum ep. 69. p. 185. qua Novatiani, aqua tantum perfusi, baptismum verum agnoscit, verbis sacræ scripturæ Numeror. VIII. 7. 12. 13. XIX. 19. 20. Ezech. XXXVI. 25. suam sententiam prolixe probans. Exempla præterea habemus Christianorum in carceribus, ubi aditus ad aquam haud patebat, baptizatorum, qui quidem baptismus perfusione unice administrari potuit. Sic v. c. Perpetua cum sociis catechumenis in carcere baptismum consecuta legitur [4], itemque anno 250 Donatianus et Primolus, in Cypriani schola educati [5]. In

---

2 Åkerbladii Inscriptionis Phoeniciæ Oxoniensis nova Interpretatio Paris. 1802. In hoc lapide Abedasar f. Abedsusami de Astarte uxore dicit: למי בחיי יפנאת על מטכב נחתי. *Quæ in meo pristino felici statu* (tanquam) *pulcritudo honestorum in thalamo requies mea erat.* Quam quidem Bellermanni Interpretationem (de Phoenicum et Poenorum Inscript. p. 11. 12.) præfero Åkerbladianæ illi, quæ למי בחיי vertit: *quæ me vivente.* Vox חיא legitur quoque *felicitatis* sensu in Inscriptione Palmyrena ab Eichhornio explicata. Vide Göttingische Gelehrte Anzeigen 1824. no. 188.

3 Tertull. adv. Prax. c. 26.

4 Ruinart Acta Martyr. p. 76.

5 Ibid. p. 233.

abrenunciatione Satanæ, quæ ante accessum aquæ, sed et aliquanto prius in ecclesia fiebat (de corona mil. c. 3.) Afri verbis *Pompæ* adjecisse videntur: *et Spectaculis,* (Tertullianus de Spectac. c. 4. de corona mil. c. 13.). *Exorcismus* vero ante baptismum, Tertulliano nondum cognitus, post eum introductus videtur, et Africanæ certe est originis. Nec ulla unctionis baptismum antegressæ in Tertulliano notio[6]. *Consecrationis aquarum* per preces Tertull. de baptismo c. 4. et Cyprianus ep. 70. ad Januarium p. 190. antiquissimi sunt testes[7]. Hac enim consecratione vis aquarum iis primo creationis die a Spiritu Sancto indita, precibus vero jam quasi in unum locum coacervata, vel, si ita loqui licet, concentrata, fonti baptismali a Deo tribui credebatur, ita ut physico modo sanctificarent eos qui abluerentur[8]. Tanto igitur facilius Afri sibi persuaserunt, per baptismum animo amissam immortalitatem reddi. Ecclesia Græca hunc ritum serius adoptasse videtur; nam ante Bassilium M., si Pseudodionysium Areopagitam demas[9], nullam ejus mentionem reperies: nec in Britannica Culdeorum ecclesia, quæ propago fuit Græcæ, receptus invenitur, et si forte ejus adfuerit vestigium, Chrisma tamen haud adhibitum legimus[10]. *Sponsorum* meminit Tertullianus de baptismo c. 18., ut et *gustationis lactis et mellis* in Alexandrina quoque aliisque ecclesiis receptæ[11], de res. carnis c. 8. de corona mil. c. 3. In ipsa baptismi formula *Ecclesiæ* mentio facta videtur[12]; nisi forte Tertulliani verba

6 J. G. Walch de ritibus baptismi Sec. II. p. 63. Wernsdorf de vera notione exorcismi in veteri ecclesia.

7 *Aquæ de pristinæ originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo.* Tertull. de bapt. c. 4. *supervenit statim spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Cypr. ep. 10. ad Januar. *Oportet mundari et sanctificari aquas prius a sacerdote, ut possit baptimo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.*

8 De baptismo c. 4. *Supervenit enim statim spiritus de coelis* etc. Vide not. 7.

9 Bingham IV. p. 316.

10 Jamieson account of the ancient Culdees of Jona. Edinburgh 1811. p. 206.

11 Neander G. d. T. p. 152.

12 Tertull. de baptismo c. 6. *Quum autem sub tribus et testatio fidei et sponsio salutis pignerentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio: quoniam ubi tres, id*

intelligenda sint de symbolo ante baptismum recitando, in quo Ecclesia nominatur; quæ fait Roesleri sententia[13]. *Unguentum confirmationis,* cujus meminit Tertullianus de bapt. c. 7. ab episcopis consecrari jussum in pluribus Conciliis Carthaginiensibus; secundo quippe can. 3, tertio can. 36, quarto can. 36. Unde colligo, sæpius hac de re fuisse disputatum, utrum nimirum consecrandum esset a Presbytero an ab Episcopo, et priorem morem fuisse antiquiorem, ab istis vero Conciliis sublatum[14]. *Signationem crucis* unctioni adjectam fuisse, clare indicat Tertullianus de res. carnis. c. 8. et auctor appendicis ad libr. de præscriptionibus c. 40. Hæc etiam aliis permultis in occasionibus in usu fuit (ad uxor. II. 5. de corona milit. c. 3.). Annuli quoque per baptismum initiato traditi mentionem facere videtur Tertullianus. Loquitur enim (de pudicitia c. 9.) de *annulo signaculo lavacri, quo fidei pactionem interrogatus obsignat,* quibus verbis fortassis ritus ecclesiæ Africanæ peculiaris respicitur[15]. Per octavam post baptismum Neophyti a solitis ablutionibus quotidianis abstinebant[16]; nonnulli quoque jejunasse videntur, Christi jejunium post ejus baptismum imitaturi[17]. Tempus vero paschale usque ad Pentocosten, sicut in universa ecclesia, ad baptismum percipiendum maxime idoneum habebatur (de bapt. c. 19.) aliis tamen anni temporibus haud exclusis. *Ceterum omnis dies Domini est,* inquit Tertullianus loco laudato, *omnis hora, omne tempus habile* baptismo: *si de solennitate interest, de gratia nihil refert.*

---

est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.

13 Bibliothek der Kirchenväter III. p. 135.

14 Conc. Carthag. 2. can. 3. *Memini prœterito Concilio fuisse statutum, ut Chrisma, ut reconciliatio poenitentium nec non et puellarum consecratio a Presbyteris non fiat.* Conc. Carthag. 3. can. 36. *ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat.* Conc. Carthag. 4. can. 36. *Presbyteri, qui per Dioeceses ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis; nec per juniorem Clericum, sed per ipsos aut per illum, qui sacrarium tenet, ante Paschœ solennitatem Chrisma petant.* Labbei Concil. II. p. 1160. 1172. 1203.

15 Episc. Lincoln. Ecclesiastical History p. 436.

16 De corona c. 3.

17 De baptismo c. 20. De jejun. c. 8. Cf. Episc. Lincoln. p. 435.

3. *Pædobaptismus* in Africana Ecclesia jam ante Tertullianum invaluerat. Eum vero reprobavit, licet a multis defenderetur, locis biblicis, inprimis Joh. III. 5., suam sententiam adstruentibus. Quod tanto quidem magis mirandum, quum summas de necessitate baptismi sibi informasset notiones [18] atque ipsi baptismo physicas quodammodo vires tribuisset. Verum quum plenariam peccatorum remissionem cum baptismo conjunctam esse statueret, veritus est ne baptismus nimis festinatus iis, qui post eum susceptum iterum pecassent, grave salutis detrimentum adlaturus foret. Quamobrem pædobaptismum vehementer dissuadet, de bapt. c. 18.: *ait quidem Dominus: nolite illos* (parvulos) *prohibere ad me venire* (Matth. XIX. 14. Marci X. 14. 15.) *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur. Fiant Christiani dum Christum nosse potuerunt. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum*[19]? *Periculi* quoque meminit, *quo ingerentur sponsores, quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli.* Ex quibus vero patet, eam aut plane ignorasse, aut nullam tribuisse fidem apostolicæ illi traditioni, ex qua Origenes, ejus æqualis, Pædobaptismum derivavit[20]. Neque hanc novisse videtur Cyprianus, qui alioquin certissime ad eam provocasset, quum contra Tertulliani sententiam Pædobaptismum propugnaret. Hic enim Carthaginiensis Episcopus dogmaticis magistri sui argumentis alia dogmatica opposuit, licet in arenam cum eo haud descenderet, nomenque ejus reticeret[21]; et pædobaptismum non solum licitum, sed necessarium atque sine mora administrandum esse declaravit, quum Fidus Episcopus Afer statuerit, baptismum, qui in locum circumcisionis successerit, usque ad octavum post nativitatem diem procrastinandum esse, qua de re confer epistol. 37. 59. 64.[22]. *De baptismo clinicorum* eadem Afrorum quæ ceterorum

---

18 De baptismo c. 13.

19 In libro vero de anima omnem baptismi, cum adultorum tum infantum, procrastinationem commendat.

20 Commentar. in Epistol. ad Romanos L. V. opp. Tom. IV. p. 565. Ruæi.

21 Epist. 64. ad Fidum.

22 Epistola Synodica tertii Conc. Carthaginiensis anno 253. sub Cypriano habiti, inter Cyprianicas LXIV. p. 161. et Augustin ep. 66. ap. Routh Rel. Sacr. III. p. 121. conf. præterea J. G.

Christianorum fuit sententia. Quamquam per aspersionem fuerit administratus, haud tamen illegitimus vel imperfectus habebatur, quum omnes necessariæ veri baptismi illi inessent conditiones. Sic Cyprianus ep. 69. ad Magnum p. 185. Attamen Cyprianus subdubitasse videtur, annon Episcopi essent in Africa qui secus statuerent; quare ad Magnum ep. 69: *qua in re nemini verecundia et modestia nostra præjudicat, quo minus unusquisque quod putat sentiat, et quod senserit faciat.* p. 185. et in eadem epistola: *nemini præscribentes, quo minus statuat quod putat unusquisque præpositus, actus sui rationem domino redditurus* p. 188. Clinici vera in Clerum haud facile cooptabantur. Quapropter, quum Novatus, apersione tantum tinctus, ab Episcopo quodam Romano Presbyter fuisset ordinatus, hancce ejus promotionem magnopere improbatam fuisse legimus[23].

4. *Hæreticorum* autem *baptismus* in Africana Ecclesia ad Cyprianum usque reprobatus fuit, qua de re vide CAP. XXVII. Attamen Tertullianum Marcionitarum illum baptismum, quo catechumenos tingebant, haud prorsus repudiasse, ex eo colligere posse mihi videor, quod adv. Marcionem I. 14. fassus est, hunc hæresiarcham sacramenta ecclesiæ servasse[24]. Iteratos vero Marcionitarum baptismos, qui vix aliud fuere quam initiationes in altiores hujus sectæ classes[25], *vicariumque* illum *pro mortuis,* iis crimini datum, universam ecclesiam damnasse, haud opus est, ut probatum eamus.

5. Adultos autem suscepto baptismo nomina nonnunquam mutasse, probabile fit ex eorum nominibus Christianam professionem indicantibus apud Cyprianum et in subscriptionibus Conciliorum; quamquam haud negavero inter eos facile quoque fuisse, quibus eadem hæc nomina in pædobaptismo fuerint collata. Hujus generis sunt: *Adeodatus, Quodvultdeus, Deum habet, Habet*

Walch de ritibus bapt. sec. II. p. 2. Ejusd. de pædobaptismo quatuor priorum seculorum.

23 Ap. Euseb. H. E. VI. c. 43. Walchii Hist. d. Ketzereyen II. p. 193. sequ.

24 Kirchliche Alterthümer der Gnostiker p. 133.

25 Kirchliche Alterthümer der Gnostiker p. 103.

Deum, Vincomalus[26], Africæ plerumque familiaria, licet in Romana quoque inscriptione apud Reines. Class. XX. 223. legatur: VINCOMALVS QVI VIXIT AN. VII. Admonent hæc nomina illorum, qui in Britannia apud Presbyterianos, eos maxime qui Independentes audiebant, Cromwelli ætate in usu erant. Sed vetera quoque nomina ex Ethnica religione oriunda Christiani sæpe retinuerunt, in quibus inprimis notandum venit *Saturnini* illud ex Carthaginiensium et universe Afrorum erga Saturnum religione derivatum[27].

6. De *Sacra Coena*, Tertulliano *Eucharistiæ, Eucharistiæ Sacramenti, Convivii Dominici, Convivii Dei, Panis et Calicis Sacramenti*[28], bis quoque *Sacrificii* nomine[29] appellata, in qua, si ex Tertulliani et Cypriani consensu publica Ecclesiæ Africanæ doctrina elici potest, *symbola corporis et sanguinis Christi*, ea fortassis ratione, qua Zwinglius hocce dogma exposuit[30], exhiberi persuasum sibi habuerunt Christiani Afri[31]; primo quidem observandum est, quotidianam fuisse communionem[32], qua in agapis et coetibus antelucanis fruebantur[33], excepta tamen feria quinta septimanæ sacræ, qua in memoriam

26 Adlusio ad hoc nomen legitur in Commodiani Instruct. 62. *Vince prius Malum* (h. e. τὸν πονηρὸν, Diabolum) *benefactis, recte vivendo.*

27 Hocce nomen vel Episcopi retinuerant, ut videre est in actis Concilii Carthaginiensis sub Cypriano. Eo enim vocabantur Episcopi Abitinæ, (no. 64.) Thuccæ (no. 52.) Victorianæ (no. 51.) Tres alii Saturnini leguntur in Cypriani Epistola 57.

28 De corona mil. c. 2. ad uxor. II. c. 4. 9. Si lectio *in convivio Dei* genuina est. adv. Marcion. V. 8. H. f. II.

29 De orat. c. 14. De cultu feminar. c. 11. Episc. Lincoln. p. 453.

30 Neandri G. d. T. p. 518. sequ.

31 Tertull. adv. Marcion IV. 40. I. 14. III. 19. de orat. c. 6. Marheineke S. S. P. P. de præsentia Christi in Sacra Coena sententia triplex. p. 12. Cypr. ep. 63. ad Cæcilianum p. 153-165.

32 Tertull. de jejun. c. 14. de idololatr. c. 7. Cypr. de orat. Domin. p. 147. ed. Brem. Epist. LIV. Neand. G. d. T. p. 184. procedente vero tempore nullam hac de re legem latam, et libertatem Christianis relictam fuisse quoties vellent ad sacram mensam accedendi, docet Augustinus ep. 118. ad Januar c. 2. Verba apud Augustium VIII. p. 148.

33 *Eucharistiæ Sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu nisi præsidentium sumtum.*

institutionis Sacræ Coenæ Eucharistia post coenam celebrabatur; quam quidem haud dubie antiquissimam consuetudinem Concilium Carthaginiense III. anno 397. habitum, canone 23. et Augustinus ep. 118. ad Januar c. 7. commemorant[34]; calicem, ut mos ferebat totius veteris ecclesiæ, fuisse mixtum; id quod Cyprianus ex Evangelica et Apostolica consuetudine et ex præcepto Christi derivat[35]. Idem hoc *temperamentum calicis* præceptum esse Christi, contendit Augustinus[36]. Panem porro eucharisticum communicantibus in manus fuisse datum[37] et domi adservatum ad domesticam communionem (de orat. c. 14. ad uxorem II. c. 5. Cyprianus de lapsis c. 7.): deinde, infantes, eos nimirum, qui baptismo essent tincti, jam ante Cyprianum Sacræ Coenæ participes esse factos, quod refert in libro de lapsis p. 125, ut morem suo tempore antiquiorem, nec habet quod in eo reprehendat; qui quidem mos Augustini adhuc ætate perseveravit[38]. Tertio ex Tertulliano de corona militis c. 3. discimus, Christianos in ipsa communione *anxie passos esse aliquid in terram decuti*, quam quoque cautionem Origenes magnopere commendat[39]. Neque *communionis sub una specie* vestigia desunt. Nam panem consecratum Christianos Afros secum in diebus stationum domum deportasse, ut alio tempore eo fruerentur, indicant

---

De coron. milit. c. 3. Opponit vero h. l. Tertullianus institutioni S. Coenæ ritum ecclesiæ Africanæ, postquam ejus celebratio separata erat ab Agapis. v. Neandri G. d. T. p. 153.

34 Cf. Augusti Denkwürdigkeiten VIII. p. 320.

35 Epist. 63. ad Cæcilium de sacramento Dominici calicis, p. 148. sequ.

36 August. de doctrina Christiana L. IV. c. 21. Cf. Augusti Denkwürdigkeiten VIII. 100. 295.

37 Tertull. de idolol. c. 7. De corona milit. c. 3. Cypr. sæpius ap. Binghamum VI. p. 478.

38 Epist. 23. ad Bonif. Epist. 106. contra duas ep. Pelagii L. I. c. 22. Sermo VIII. de verbis Apost. Cf. Augusti Denkwürdigkeiten der Christl. Archæologie VIII. p. 228.

39 Homilia 13. in Exodum, Ruæi II. p. 176. *Nostis, cum qua cautione corpus Domini servetis, ne vel parum ex eo decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.* Eandem cautionem commendat Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5.

verba Tertulliani de orat. c. 14. *Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio.* Ceterum non in ædibus tantum sacris sed in carceribus quoque celebratam fuisse Eucharistiam, fidem facit Cyprianus ep. 5. ad Clerum p. 11. ubi, *qui illic,* inquit, *apud Confessores offerunt* (sc. Presbyteri) *singuli cum singulis Diaconis per vices alternent.*

7. *Benedictiones matrimoniorum sacerdotales* respiciuntur a Tertulliano, qui non civilem tantum verum etiam religiosam societatem in matrimonio agnoscit[40]. Sunt nimirum hæc ejus verba, ad uxorem Lib. II. c. 9: *unde sufficiam ad enumerandum felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio* (sive Eucharistiæ, sive precum) *et obsignatum angeli renunciant; pater pro rato habet.* Unde forsitan conjicere licet, inter ritus copulationis Eucharistiæ quoque fuisse celebrationem. Nam de matrimonio, in quo uterque conjux Christianus esset, unice agitur. Et licet benedictio sacerdotalis nondum in legem abiisset, Christianique haberentur, qui nescia ecclesia nuberent, legis tamen fere habuit vim. Patet hoc ex libro de pudicitia c. 4. *Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud ecclesiam professæ, juxta moechiam et fornicationem periclitantur judicari.* Postulabatur enim matrimonii ineundi facultas ab Episcopo, Presbyteris, Diaconis et Viduis[41]. In Africa pium hunc ritum ortum esse credo. Antiquius enim de eodem in Ignatiana ad Polycarpum epistola c. 5. testimonium magna suspicione laborat, certumque hoc, quod ætatem tulit, est ex Africa profectum. Fideles vero Gentiles matrimonio secum jungentes stupri reos esse, Tertullianus asserit ad uxor. II. c. 8.

8. *Dissolutio matrimonii per divortium* in Africana ecclesia haud fuit res inaudita. Ejus enim mentionem facit Tertullianus sæpius, v. c. libro II. ad uxorem c. 2. Sed unica legitima causa habebatur adulterium (ad uxorem l. l. adv. Marcionem IV. 34.). Nec repudiatam legitime nubere posse, docet libro de monogamia c. 9.

---

40 Neandri G. d. T. p. 226. 254. sequ.

41 De monogamia c. 11. et Flügge Geschichte der Copulationen p. 27.

9. *Psalmodiam Ecclesiæ* commemorat Apologetici c. 39: *ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere:* quæ quidem singulis Christianis inter ipsa cultus publici solennia concessa libertas antiquissima Ecclesiæ redolet tempora, antequam ordinata esset liturgia. Doxologia jam cantata fuisse videtur[42]. Domesticos autem piorum conjugum cantus indigitat lib. II. ad uxorem c. 9: *sonant inter duos* (conjuges) *psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet.* Unde probabile fit, Tertulliani jam ætate collectiones Hymnorum in Africana Ecclesia extitisse[43], Antiphonasque ab Ignatio in coetum Antiochenum introductas, in Africano quoque invaluisse. *Mutuo* enim maritus et uxor provocant, quis melius Deo suo cantet! Neque probabile est a sacris publicis exclusa fuisse quæ in domestica introducta jam essent. Hymnos quoque canebat S. Perpetua in carcere; didicerat igitur et fida memoria tenebat. Neque dubium, quin et Poeni Christiani, Latini quippe sermonis ignari, Punicos habuerint hymnos inter cultus publici solennia cantatos. Sed canticorum collectiones apud rudes et agrestes istos homines extitisse, vix est credibile. Et pauciora eorum quam Catholicorum sine dubio erant cantica, quæ tanto facilius memoriæ commendare potuerunt.

10. *Sermones ad Populum* habebantur ab Episcopis. Augustinus enim primus fuit in Africa Presbyter, cui ab Episcopo Hipponensi, decessore ejus, jus concionandi concessum fuerit[44]. Ipsi quoque Episcopi plerumque fuerunt Catechistæ[45]; aliis docendi jus haud competebat; minime vero mulieribus[46].

---

42 *Quale est — ex ore, quo Amen in sanctum* (ἅγιος κύριος) *protuleris, gladiatori testimonium reddere εἰς αἰῶνας ἀπ᾽αἰῶνος, alii omnino dicere nisi Deo et Christo?* De spectac. c. 25. et de orat. c. 3. Cf. Neandri G. d. T. p. 30.

43 Vide Tractatum nostrum: über die älteste Christliche Poesie, in versione metrica Apocalypseos.

44 Possidius in vita Augustini c. 4. Cf. quoque Thomassinum in vet. et nova Ecclesiæ disciplina II. 1. c. 88. p. m. ed. Maguntinæ 556.

45 Thomassinus ibid. c. 83. p. 578. c. 93. p. 587. Jo. Andr. Serrai, Episc. Potentiæ, de claris Catechistis. Neapoli 1769.

46 Tertullianus de velandis virginibus c. 9. De baptismo c. 17. De præscr. c. 41.

11. *Orationem pro defunctis cum oblationibus elementorum Eucharisticorum conjunctam,* commemorat Tertullianus de coron. milit. c. 3: *Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus.* Et de monogamia c. 10., ubi de vidua: *Enimvero et pro anima ejus* (mariti) *orat, et refrigerium interim expostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Vix antiquiora hujus moris extant testimonia. Hæ vero preces recitabantur, symbolis consecratis mensæ jam illatis[47]; unde forte conjicere possit aliquis, antiquissima heic Canonis Missæ vestigia haberi[48].

12. *Natalitia Martyrum* vix ante Tertullianum celebrari potuerunt, quum ad Severi usque ætatem pacata per Africam ecclesiæ fuerit conditio. Sed ille Apologet. c. 3. habet *pro natalitiis annuum diem.*

13. *Liturgiarum* in Ecclesia Africana receptarum nulla sunt indicia, si unum illud, quod mox indigitavimus, excipias. Ceterum vero *Preces* ad Deum fudisse videntur ex more primitivæ Ecclesiæ sine formulis præscriptis[49], excepta Oratione Dominica. *Gestus orantium* idem qui in reliqua ecclesia; brachia expansa, manus in coelum elatæ; inprimis vero crucis formam adamarunt[50], ab Ethnicis fortassis pro magica superstitione habitam[51]. *Quibusdam adsignata* (transacta) *oratione adsidendi* erat mos[52], alii *positis penulis* orabant; (ibid. de orat. c. 12.). Nudo capite viri, operto feminæ orabant, ex præcepto Apostoli 1 Cor. XI. 4. 5. licet forsitan remissiores in hoc ritu observando essent virgines Africanæ, velo matronis relicto. Sed quum Montanistæ postularent, ut omnes mulieres eo in sacris uterentur, virgines Catholicæ velum plane neglexisse videntur; qua de causa Tertullianus librum scripsit de velandis virginibus, in quo docet, tam

---

47 Cyrilli Hieros. Catecches. 23. §. 9. *Ἡ μὲν δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας θυσίας προκειμένης.*

48 Ammons unveränderliche Einheit der Evangelischen Kirche I. p. 71. 72.

49 Exceptis paucissimis v. c. *sursum corda: habemus ad Dominum.* Cypr. de orat. Dom. p. 152.

50 Tertull. de orat. c. 11. *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus, dominica passione modulantes et orantes Christo confitemur.* et c. 3.

51 Ad uxor. Lib. II. c. 5.

52 Tertull. de orat. c. 12. suspicatur vero ortum esse ex erronea interpretatione loci, qui in Pastore Hermæ attributo legitur. Cf. Episc. Lincoln. p. 258.

virgines quam matronas cultui publico velato capite interesse debere, easque severe castigat, quæ in oratione fimbriam, aut vittam, aut quodlibet filum cerebro superponebant, et tectas se opinabantur: quum tamen antea in libro de oratione c. 22., Montanista nondum factus, *legem virginibus injicientem velamenta excusari posse* dixisset, nec *tenendam hanc consuetudinem* jussisset; et c. 21: *quasi incertum retractandum esse illud, quod promiscue observetur per ecclesias, velarine debeant virgines, an non*[53]?

14. *Orationes pro mora finis*, ne Deus tam subito mundi interitum jubeat, licet aliis in ecclesiis haud fuerint plane insolitæ, in Africana tamen inprimis habebantur[54]. *Orationes pro Imperatoribus, pro omni statu Imperii, rebusque Romanis* commemorat Tertullianus Apolog. c. 32. Ex hisce vero omnibus patet: cultum publicum pro more priscæ Ecclesiæ ubique fuisse simplicem. Festa nulla erant, præter diem Dominicum, Pascha, quo mors et resurrectio Domini commemorabatur, et quo liberalitatem in pauperes excercere solebant[55], et Pentecosten, 50 illos dies a resurrectiones die complexam. Controversiæ vero seculo secundo inter Romanos et Asiaticos tam vehementer agitatæ, quo tempore celebrandum sit Pascha? nullum apud Tertullianum habetur vestigium. *Annuo* tantummodo dicit *circulo pascha celebrari in mense primo*[56], qui ei haud dubie est Martius. Ne probari quidem potest, Natalem Christi in Africana ecclesia celebratum fuisse ante seculum quartum[57].

15. Osculum pacis Christani Afri, ut reliqui omnes, sibi invicem dabant. Testis est Tertullianus, qui *signaculum orationis* appellat, (de oratione c. 14.) illudque in quavis publica oratione dandum, nec jejuniorum tempore, uno die

---

53 Neander G. d. T. p. 118. 299. Bingham Orig. Eccles. V. 266. Katerkamp erstes Zeitalter der Kirchengesch. I. p. 265.

54 Tertulliani Apolog. c. 32. 39. Semleri selecta capita H. E. I. 48. Hoeckel de precibus primorum Christianorum pro mora finis; Argentorati 1751. Fuerunt inprimis Montanistæ qui mundi interitum proxime instantem prædicerent; unde quoque in Carminibus Sibyllinis tot de eo oracula leguntur.

55 Commodiani Instr. LXXV.

56 De jejun. c. 14.

57 Mémoires de Tillemont I. p. 400. 430. Jablonskii Opuscula. ed. Te Water. III. p. 333.

Paschæ (h. e. feria sexta in habdomade passionis) excepto, intermittendum docet, quum fuerint *qui jejunantes, habita oratione, osculum pacis subtraherent.* (ibid.).

16. *Jejunia* habuit Ecclesia Africana statis diebus, pari modo ac omnes reliquæ [58]. Inprimis ab omni cibo abstinebant Christiani die Paschæ, h. e. mortis Christi, addito sequente usque ad diem resurrectionis, *quo communis et quasi publica jejunii religio est* (de orat. c. 18.). Multo vero plura jejunia Montanistæ habuerunt, quæ adversus Catholicos ea improbantes acriter defendit Tertullianus (de jejuniis c. 2.) atque in scriptis Montanisticis magnopere commendat, additque *stationes* [59], quæ brevius jejunium, quarto et sexto hebdomadis die hora nona ab ortu solis, h. e. tertia pomeridiana solutum, fuisse videntur [60]. Sed in Catholica quoque ecclesia extraordinaria jejunia ab Episcopis indicebantur, interdum lucri causa, (de jejun. c. 13.). Nonnulli, ex coetibus Orientalibus, Carthagine, ut in aliis Occidentis partibus moris erat, sabbato jejunabant, (Tertull. de jejun. c. 14.) qua de re quoque in Africana ecclesia lites obortas fuisse, e verbis Tertulliani de *pauculis quibusdam qui*

---

[58] Tertull. Apol. c. 40. Horum tres species recenset Routh Rel. Sacr. I. p. 397.

1. Jejunium quartæ et sextæ feriæ, quod solvebatur hora diei nona, post finem stationis seu συνάξεως; quamobrem a Tertulliano vocantur *stationum semijejunia.*
2. Jejunium quadragesimale, quod sub vesperam solvebatur. Hoc quidem Africani patres diserte haud memorant; rem vero designat Tertullianus de jejun. c. 2., ubi ait, *illos dies putari jejuniis determinatos, in quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus.* Morcelli II. p. 76. 77.
3. Jejunium omnium strictissimum, quod usque ad galli cantum et primæ lucis exortum producebatur.

[59] De jejun. c. 14. *Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus et jejuniis parasceuen?* Stationes quoque habet eodem libro c. I. 7. ad uxorem II. 4. de fuga c. 1. quibus in locis inter jejunia et stationes aliquantulum distinguit. Alibi confundere videtur v. c. de corona milit. c. 3. de anima c. 49. de jejun. c. 10.

[60] Cf. hoc de argumento Beveridgium in cod. Canonum ecclesiæ primitivæ vindicato ac illustrato erudite disputantem p. 368.

sabbato abstinent genibus, h. e. jejunant et ingeniculati orant, probabile fit: *Dominus dabit gratiam suam, ut aut cedant, aut sine aliorum scandalo sententia sua utantur*[61].

17. *Agapas*[62] habuere Afri sicut reliqui Christiani sub vesperam[63]. Infantibus, communionis ecclesiasticæ per baptismum participibus, addesse licuit[64]; catechumeni vero abesse jussi. Ferculis opiparis et lautis non dabatur locus[65]. Hymni et Psalmi canebantur[66]. Quando igitur Tertullianus de jejun. cap. ult. in Agapas invehitur, quasi non solum gulæ sed libidini quoque in iis indulgerent Catholici, eædem sunt illæ calumniæ, quibus Ethnici in ipsa Africa[67] Christianum nomen adsperserunt, quasque Tertullianus, Montanista jam factus, adversus Catholicos sibi licere ratus est. Lautiores forsitan fuerunt hæ Agapæ: quæ vero de *adolescentibus* habet, *cum sororibus per Agapas dormientibus*, sunt calumniæ ex reliqua Christianorum vita, quos haud ubique castos servasse mores CAP. XIII. observavimus, petitæ.

18. *Exorcistas* licet ante Cyprianum ignoraret Ecclesia Africana, exorcismis tamen usa est ad fugandos Dæmones. Tertullianus enim refert: eos iisdem in fugam actos[68]; et Dæmones interdum, qui fuerint, confessos esse[69]: *a quolibet Christiano Dæmonem jussum loqui; tam se Dæmonem confessurum de vero, quam alibi Deum de falso*[70], et sæpius. De *flagris verberumque tormentis*, quibus *Dæmones cædebantur, torrebantur,*

---

61 De orat. c. 23. Cf. Neander G. d. T. 187. n. 298.

62 De his nuper egit Drescherus Diss. de veterum Christanorum Agapis. Gissæ 1824. quem consule.

63 Tertull. Apol. c. 39. ad uxor. II. 4. de corona milit. c. 3.

64 Cyprianus de lapsis p. 132.

65 Tertull. ad Martyr. c. 1. 2. Apol. c. 39. Cypr. epist. 11. p. 26.

66 Tertull. Apolog. c. 39. *Post aquam manualem et lumina, ut quisque de scripturis sacris vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit.* Respicit Ephes. V. 18.

67 Inter quos Apulejus et Fronto; vide Minucii Felicis Octavium c. 9. p. 58. Lindneri, et infra CAP. XXV.

68 De corona milit. c. 11. Apol. c. 37.

69 De anima c. 57.

70 Apol. c. 23. et ibi Havercamp. p. 226.

urebantur, torquebantur, multus est Cyprianus[71]. Veteres vero Christiani de hoc suo per nomen Christi in Dæmones imperio gloriabantur et suæ religionis veritatem eo demonstratam esse asseverabant: unde fama rei inter Ethnicos quoque percrebuit. In his vero fuisse, qui de Exorcismis in universum, sive hi a Christianis Judæisve sive ab Ethnicis peragerentur, minus honorifice sentirent, e fragmento Ulpiani in Digesto servato fortasse colligi poterit; quod quidem eo lubentius profero, quia ipsa Cypriani ætate scriptum est. Ulpianus enim floruit sub Severo Augusto et usque ad Alexandrum. Sic autem habet: *Medicos fortasse quis accipiet etiam eos, qui alicujus sunt partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta si auricularius, si fistulæ vel dentium. Non tamen si incantavit, si imprecatus est, si, (ut vulgari verbo impostorum utar) si exorcizavit*[72]. Haud tamen statuere ausim Ulpianum hoc loco exorcismos Christianorum peculiariter respicere, quum hanc vocem cum incantationibus et imprecationibus plane confundat. Neque ita certo constat, Ulpianum infenso in Christianos fuisse animo[73].

19. De *funeribus Afrorum* pauca tantummodo commemoranda habemus. Pollingebant corpora defunctorum thuribusque haud parcebant[74]. Terræ tamen mandabant, vel in Hypogæis sepeliebant, additis lucernis, quarum nonnullæ figura cervi, vel lychnuchi septem candelabris instructi, vel monogrammate Christi ornatæ nuper Hafniam ex Africa advectæ sunt. In lapidibus sepulcralibus Curubi repertis delphini vel pisces intermedio monogrammate additisque litteris *A* et *Ω*

---

71 De idolor. vanitate c. 4. ad Demetrian. p. 191. epist. 77. 191. et sæpius.

72 Digest. Lib. L. Tit. XIII. de extraordin. cognitionibus l. 3.

73 Tu hac de re consule Schultingii Jurisprudentiam Antejustinianeam p. 557. Heineccii histor. Juris Romani §. 338. not. Bynkerhoek Observat. V. 23. p. 127. et de religione peregr. Diss. I. 241.

74 Tertull. Apol. c. 42. *Thura non emimus. Si Arabiæ queruntur, scient Sabæis pluris et carioris suas merces* (ap. Plin. H. N. VI. 28. odorum merces) *Christianis sepeliendis profligari quam Diis fumigandis.* et de Idolol. c. 11. Hæc quidem generatim de Christianis dicta sunt: verum, quum Tertull. Carthagine scripserit, de Afris inprimis valent. Cf. præterea Walchii Diss. de Mumiis Christianis. Commentat. Goettingens. Vol. III.

observantur. Sepeliendi ritus, si qui in Africa fuere peculiares, ignoramus. At Tertulliano florente Presbyterum intercessisse, ipse docet, de anima c. 51. Narrat enim prodigium de femina Christiana, *quod interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformaverit, rursumque, condita pace, situi suo reddiderit.* Preces igitur fudit Presbyter *pro pace*, h. e. pro requie animæ, addito forte osculo pacis. Quod quidem antiquissimum hoc de ritu testimonium miror a Binghamo esse neglectum. Pauperes communi ecclesiæ sumtu efferebantur (Apologet. c. 39.). Funera modesta [75] pompam ritusque Ethnicos repudiabant, ne coronis quidem funebribus admissis (de corona c. 10.).

20. *Omnes artes* exulabant. Nam hisce Christianos ad idololatriam facile seduci posse statuebant. Nulla, nisi boni pastoris, imago in calicibus permittebatur, (Tertull. de pudicitia c. I. 10. 13.) atque piscium (de baptismo c. 1.). Habet enim Afer *ΙΧΘΥΝ nostrum Jesum Christum*, et *pisciculos*, quos quoque incisos habent lapides illi Curubitani [76]. Alia symbola, Christianis solennia, et in cryptis Romanis obvia, ignoramus. Forsan prodibunt in lucem, si quando Europæis fiet potestas terram in ruderibus Carthaginis aliarumque urbium Africanarum rimandi. Sed ad hunc usque diem hospites e cultioribus regionibus Tunetum advenæ antiquitatum Christianarum parum fuerunt curiosi.

---

75 Commodiani Instructio LXXIV.

De funeris pompa sollicitus esse qui quæris
Erras, Dei servus adhuc in morte placere,
Pro! exanimum corpus ornari funestum.
O vanitas vera; cupere defunctis honorem!

76 Cf. Epistolam nostram ad Archiepiscopum Upsaliensem de duobus monumentis priscæ ecclesiæ, in Commentationibus Antiquariis p. 66. Plura de tota hac § et quæ inprimis seriora tempora spectant, dabit Leidekkerus Sect. V**** 26. de cultu ecclesiæ Africanæ.

CAP. XIX.

DISCIPLINA.

1. **D**isciplina veteris ecclesiæ severa quidem erat, haud tamen eodem ubivis locorum rigore: exercebatur ab Episcopo una cum Clero atque plebe: sic in Africa quoque, ut Cypriani epistola 57, et Presbyterorum Romanorum epistola ad Cyprianum (31) testantur. Remissior fuit aliquando, inprimis post persecutiones, quum multitudo lapsorum, intercedentibus insuper Martyribus et Confessoribus, majorem lenitatem atque missericordiam commendaret, magno ubique ecclesiæ incommodo; natis inde Novatianorum atque Donatistarum controversiis et schismatibus, ipsorumque Montanistarum de hac lenitate querelis; nam Afri mature priscam severitatem, quantum quidem ex paucis quæ supersunt monumentis colligere licet[1], quum res pacatæ essent, temperare coeperunt. Hæc ideo, missis reliquis, Africanam ecclesiam haud immediate tangentibus, uno velut obtutu lectoribus præ oculis ponemus.

2. Tertullianus in grandibus peccatis, quæ *septem* sint *maculæ capitalium delictorum*, recenset: *idololatriam, blasphemiam, homicidium, adulterium, stuprum, falsum testimonium, atque fraudem.* (adv. Marcion. IV. 9.) et alio loco (de pudicitia c. 12.): *Neque idololatriæ neque sanguini pacem ab ecclesias reddi,* docet[2]. Ad *Idololatriam* autem censebantur quoque artes, quibus idola cælabantur atque pingebantur[3], licet apud eundem Tertullianum

---

[1] Cyrum Agrippini successorem veteri ritu eos in ecclesiam recipientem, qui ob admissa scelera abjecti vitam in moerore luctuque poenitentes traduxerant, a Tertulliano notari libro de pudicit. c. 13. statuit Morcellus. *Et tu quidem,* ait, *poenitentiam moechi ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens ..... prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros,......, inque eum hominis exitum quantis potes misericordiæ illecebris bonus pastor et benedictus Papa concionaris etc.*

[2] Ab ecclesiis cum Montanisticis tum Catholicis: in hac enim lege observanda utriusque partis ecclesiæ consenserunt. Cf. Neandrum G. d. T. p. 263.

[3] Artificum Christianorum excusationes, idola esse nihili, seque ea haud eo consilio ut adorentur, sed ut alia artis opera, cælare atque pingere, et quæ

legamus (de Idolol. c. 7.) *adlegi in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum,* intellige vero homines qui ante susceptam religionem Christianam artifices fuissent.

Homicidis jure meritoque adnumerabantur quicunque *procurabant abortus* (Apolog. c. 9.) et *lanistæ. Homicidii interdictio,* verba sunt Tertulliani (de Idol. c. 11.) *ostendit mihi, lanistam quoque ab ecclesia arceri, nec per se non faciet quod faciendum aliis subministrat.* Idem præceptum legimus in Constitutionibus Apostolorum VIII. c. 32. De *moechis* diversa in ecclesia Africana statuendi fuit ratio. Cyprianus enim epistola 55 ad Antonianum p. 109. ita habet. *Moechis a nobis poenitentiæ tempus conceditur et pax datur. Non tamen idcirco virginitas in ecclesia deficit, aut continentiæ propositum gloriosum per aliena peccata languescit*[4]. Sed hanc haud constantem ecclesiæ Africanæ fuisse praxin, docet p. 110. *Et quidem apud antecessores nostros* (Episcopos Ecclesiæ non solum Carthaginiensis sed universæ Africanæ, qui ante eum fuerunt, ex usu loquendi ipsi peculiari) *quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt, et in totum poenitentiæ locum contra adulteria clauserunt.* Ipse enim in mitiori stetit sententia, id quod præter locum mox excitatum alius (ep. 4. p. 9.) indicat, quo feminis adulteris poenitentia conceditur. *Si de eis* (quæ ad masculos, intelligit autem Diaconos, reversæ fuerint), *aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat poenitentiam plenam; quia, quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est; et ideo, æstimato justo tempore, postea, exomologesi facta, ad ecclesiam redeat.*

3. Hujusmodi homines more solito cum ecclesia reconciliabantur, neque diversus in Africa fuisse videtur ritus[5]. Episcopi ubique reconciliabant[6], iis

---

sunt cetera, retundit Tertullianus libro de idololatria. Cf. Neandrum G. d. T. p. 36.

4 In concilio Ancyrano (post initium seculi IV. anno circiter 315.) canone 20. moechis septem annorum poenitentia injungebatur. Routh Rel. Sacræ III. p. 414.

5 *Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est* etc. de poenitentia c. 9. de pudicitia c. 13.

6 De pudicitia c. 14.

vero absentibus Presbyteri. Sic in Concilio Carthaginiensi III canone 32 et 36 constitutum, quibus decretis haud dubie vetus consuetudo sanciebatur; in casibus autem extraordinariis, absentibus nimirum Episcopo et Presbyteris, ipsis quoque Diaconis reconciliandi potestatem factam esse, epistola Cypriani docet[7], nisi is primus hanc veniam concesserit. Reconciliatio vero semel tantummodo concedebatur[8]; licet spes remissionis peccatorum a Deo iterum impetrandæ lapso haud præcideretur[9]. Hinc sequitur statui minime posse, poenitentiam ad vitæ exitum fuisse productam, et lapsos non nisi in ipso mortis articulo fuisse absolutos; quum ante Cypriani et Cornelii decretum excommunicationis vinculo in perpetuum fuissent constricti, ita ut ne ipsa quidem morte expedirentur, aut absolutione fuerentur. Id quod historiæ antiquiori et ecclesiæ Africanæ praxi repugnat, ut ex ipsis Cypriani epistolis[10] constat; quum inde appareat, non solum solitum fuisse ante Cypriani tempora lapsis in morte subvenire, verum etiam moris fuisse eos absolvere poenitentia comperta[11]. Novo baptismo lapsos iterum initiatos fuisse, nullo loco legitur, licet fuisse videantur qui hoc postularent, cum quibus tamen haud consensit Tertullianus, unicum tantum Catholicæ Ecclesiæ baptismum statuens[12].

4. Tertulliani jam ætate Martyres et Confessores pro lapsis, iis maxime, qui in persecutione defecerant, intercessisse, ex scriptis ejus patet[13]: unde in Africana, haud minusac in reliqua ecclesia, perniciosa est omnis disciplinæ nata relaxatio. De hac agit Cyprianus ep. 55. ad Antonianum p. 101. Eandem hanc quoque respicere videtur Commodianus Instructione 42.

Obrelicta duæ tribuum et dimidiæ, quare
Ab istis dimidia tribuum? ut Martyres essent,
Bellum cum inferret electis suis in orbem.

---

7 Epist. 18. p. 40.

8 Tertull. de poenit. c. 7. 9.

9 De pudicitia c. 3. 18.

10 Epist. 15. et al. apud Routh III. p. 111.

11 Cf. de toto hoc argumento Routh Rel. Sacræ III. p. 111. 112.

12 De baptismo c. 15. *Semel lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet .... Felix aqua, quæ semel abluit, quæ ludibrio peccatoribus non est, quæ non assiduitate sordium infecta, rursus, quos diluit, inquinat.* Cf. Augusti Denkw. VII. p. 58.

13 De pudic. c. 22. ad Martyr. c. 1. vide infra CAP. XXIX.

Seu certe sanctorum chorus Prophetarum
Consurgeret ad plebem, qui frenum imponeret illis,
Obscoeni quos equi trucidarunt calce remissa,
Nec rueret temere ad pacem manus aliquando.

Ad huncce locum valde obscurum Schurzfleischius adnotat: per *obscoenos equos* carpi Novati ac Novatiani scelera, qui remoti ejectique ecclesia plebem adversus Episcopos suos accenderant; quæ vero ultimo versu legantur, pertinere ad lapsorum ac schismaticorum historiam, qui factiosis prensationibus Episcopos perurgebant, ut pacem indignis etiam inviti concederent. Hujusmodi enim abusus exempla in antiquiori ecclesiæ Africanæ historia occurrunt. In epistola synodica Concilii III Carthaginiensis sub Cypriano habiti (Cypr. epist. 64. p. 158.) legimus, Therapium Episcopum Bullensem præpropera festinatione Victori Presbytero, antequam plenam egisset poenitentiam, pacem dedisse, licet ex consuetudine veteri in presbyterium haud iterum fuerit receptus, sed inter Laicos communicaret, qua de causa a Cypriano *quondam Presbyter* vocatur. Sic Fortunatianus quoque lapsus, a Cypriano epistola 65. ad Epictetum et plebem Assuritanam dicitur *quondam apud vos Episcopus;* quæ quidem vox *quondam* non de homine defuncto, sed de eo, qui, quum poenitentiam accepisset post lapsum, dejectus erat gradu Episcopi vel Presbyteri, intelligi debet[14].

Sed e diverticulo in viam! Relaxationibus de quibus dixi disciplinæ frustra sese opposuerunt Montanistæ et Novatiani[15], verum ecclesiæ characterem in sanctitate personarum ponentes, quem Catholici propter ingentem fidelium multitudinem suis coetibus haud amplius vindicare potuerunt, eaque de causa in puritate doctrinæ atque intemerata sacramentorum administratione quærendum esse docuerunt. Ex Novatiano schismate exinde oborto Donatistarum furores prodiere, qui sub sanctitatis suis ecclesiis adstruendæ prætextu Ecclesiæ Africanæ statum per quartum atque quintum seculum miserrimum reddidere.

---

14 Routh Rel. Sacræ III. 117.

15 Notandum autem, controversiam in Africa initium cepisse, antequam Novatus Romam proficisceretur. Walch Historie der Ketzereyen II. p. 227.

CAP. XX.

HÆRESES.

De ingenti agmine sectariorum per universam Africam sparsorum Cypriani testimonium legitur epistola 73. p. 199. ubi dicit: *multos esse annos et longam ætatem, ex quo sub Agrippino hoc statuerint, ut baptizarentur ii qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversos non aspernatos esse, neque cunctatos, imo et rationabiliter et libenter amplexos esse, ut lavacri vitalis et salutaris baptismi gratiam consequerentur.* Quem quidem locum supra (CAP. V.) attulimus ad probandum, Agrippini jam tempore Christanorum in Africa numerum valde accrevisse, quum in iis tantum hæreticorum agmen esse potuerit. Itaque nil mirum, si Tertullianum tot adversus eos volumina edidisse reperiamus: nec vituperandi ii, qui omnes istas sectas in ipsa Africa sua habuisse conciliabula statuunt, quamvis negari nequeat, doctorem Carthaginiensem, qui tempus aliquod Romæ transegerat, nonnullos quoque libros adversus hæreticos Romanam ecclesiam infestantes, aliisque in regionibus propullulantes, quorum notitiam habebat, sive eos ipse observaverit, sive a Græcis acceperit, scribere potuisse. Attamen complures etiam in Africa fuisse, e verbis ejus satis apparet: et inter hos haud dubie eminent *Gnostici,* quos Morcellus primæ persecutionis a Severo in Africa motæ tempore erupisse statuit[1]. In hisce vero *Marcionitæ* primarium occupant locum.

1. *Marcionem* enim, qui plurimos habuit discipulos, in Africa quoque haud ita paucos secum conjunxisse, vel ex eo patet, quod a Tertulliano ter fuit refutatus. Et primo quidem *properato,* ut dicit, *opusculo,* quod *pleniore postea compositione resciderat.* Hunc vero libellum, quum furto ei fuisset ablatus[2],

---

[1] Provocat ad libri *Scorpiace* anno 204. scripti cap. 1. *Quum fides æstuat, et ecclesia exuritur de figura rubi, tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt etc.* Annum ponit 198.

[2] Adv. Marcionem Lib. I. c. 1. Episc. Lincoln. Ecclesiastical History p. 480. Unum tantummodo libellum habet Walchius Hist. der Ketzereyen I. p. 536.

secuti sunt quinque illi quos adversus Marcionem edidit libri, hodieque superstites. Ex accurata illa et singularum penes Marcionitas rerum notitia, quam hocce opus ubique prodit, elucet, quanta cura quantoque studio Septimius noster oculos in eos converterit. Eorum autem doctrinæ semina, quum Romæ diutius commorati fuissent, ab Hygini nimirum Episcopi tempore (anno Christi 142), quo Ecclesiæ Romanæ præsidente Marcion in hanc metropolin venisse suamque sectam condidisse fertur[3], facile fieri potuit, ut mature Carthaginem deferrentur, fortassis ab ipso Marcione, quem placitorum suorum per ecclesiam spargendorum causa magna itinera suscepisse perhibent[4]; unde quoque intelligitur, eos brevi tempore tantopere augeri potuisse. Hoc enim Tertulliani indicant verba, adv. Marcionem IV. 5. *faciunt favos et vespæ, faciunt ecclesias et Marcionitæ.* Itaque in Africa quoque ab ipso Marcione aliove ejus disciplinæ alumno conditi sunt hujus sectæ coetus, quibus præsidebant Episcopi atque Presbyteri[5], licet Tertullianus nullo loco horum mentionem faciat. Ceterum, quam accurate Marcionitas noverit, ipsi ejus libri, quod jam monui, testantur. Eorum quoque Evangelium[6], quod sæpe excitat, cujusque a Luca nostro discrepantiam multis in locis notat, nec non Epistolarum Paulinarum adulteratum illud, quo Marcionitæ usi sunt, exemplar manibus versavit. Hoc vero, ut et ipsius Marcionis quædam scripta, a Marcionita quodam in gremium Ecclesiæ Catholicæ reduce, vel a Montanistis suas in partes allecto, accepisse videtur. Novit enim epistolam quandam Marcionis (adv. Marcionem IV. c. 4. de carne Christi c. 2.) quam Hæresiarcha vix cum aliis, nisi suæ sectæ asseclis, communicandam scripserat, et præter hanc ejusdem hominis Antitheses, ab Augusto Hahn V. D. ex ipso

3 Ibid. p. 494.

4 Walch l. l. p. 491. Alii Marcionem statuunt floruisse Eleutherii tempore versus exitum sec. II. Obiit enim Eleutherius anno 192.

5 Kirchliche Alterthümer der Gnostiker p. 18. et 24.

6 De hoc Evangelio vide quæ nuper erudite disputarunt Duumviri Regiomontani, Augustus Hahn: Das Evangelium Marcions in seiner ursprünglichen Gestalt. Regiom. 1823. et Hermannus Olshausen, in libro: Die Aechtheit der vier canonischen Evangelien aus der Geschichte der zwei ersten Jahrhunderte erwiesen. ibid. 1823.

Tertulliano nuper restitutas[7]. Attamen omnem Marcionis doctrinam perspectam haud habuit; nihil enim de iteratis hujus sectæ baptismis tradit, ideoque nullam variarum ejusdem classium, quas gradus initiationis appellare licet, habuit notitiam[8].

Nec Marcionis tantummodo discipuli, sed sectæ quoque, quæ ex eorum gremio prodiere, cito propagabantur. In horum antesignanis fuit *Apelles*, idem ille, quem Rhodon refutavit[9], quem, dogmate Marcionis in nonnullis mutato, discipulos in Africa quoque nactum esse credo, quum Tertullianus ejus sæpe faciat mentionem (de carne Christi c. 6. de resurrectione carnis c. 5. adv. Marcionem IV. 17. *Lucanum* quoque habet, resurrectionem carnis animæque negantem, statuentem vero tertium aliquod resurrecturum esse: procul dubio docentem, tertiam tantummodo hominis partem, πνεῦμα, esse immortalem[10]. Ex verbis vero Tertulliani haud clare patet, Lucanum hunc in Africa fuisse. De præscript. c. 6. et c. 51. in appendice ab alio auctore scripto)[11]. Librum

7 Anthitheses Marcionis Gnostici, liber deperditus, nunc, quoad ejus fieri potuit, restitutus. ibid. 1823.

8 Hosce iteratos Marcionitarum baptismos primus et unicus est qui commemoret Epiphanius Hæres. XLII. 3. Cf. nostras Antiquitates Ecclesiasticas Gnosticorum p. 103.

9 Fragmenta libri a Rhodone adversus Apellem editi leguntur apud Eusebium Hist. Eccles. V. 13. Cf. Routh Rel. Sacræ I. p. 349. Eum ut Marcion sacri codicis fuisse adulteratorem asserit Rufinus de adulter. libror. Origenis. Opp. Hieron. ed 1675. Tom. IV. p. 250. Cogitavit forsitan de Evangelio Apelli tributo. Incerta tamen res. Walchii Historie der Ketzereyen I. p. 52.

10 De resurr. carnis c. 2. *Omnes enim fere hæretici eam* (animæ salutem), *quoquomodo volunt, tamen non negant. Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens, quam secundum Aristotelem dissolvens, aliud quid pro ea subjicit, quasi sit tertium quiddam resurrecturum, neque anima neque caro, id est, non homo; sed ursus forsitan, tamquam Lucanus.* De hoc Lucano agunt præterea Origenes contra Celsum Lib. II. c. 27. Opp. Tomo II. p. 411. Philostr. de hæres. c. 46. Epiphan. Hær. XLIII. Jo. Damasc. de hæres. c. 43. Walchii Historie der Ketzereyen I. p. 525.

11 *Μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ*, de eo inquit Eusebius, antithetice nimirum adversus Marcionem, quemadmodum ejus dogma vulgo intelligitur. Mea quidem sententia Marcion nonnisi unum statuit principium, Deum infinitum, Persis

præterea edidit adversus *Apellejanos*, h. e. Apellis sectatores, jam deperditum[12]; unde probabile fit, Carthagine ex horum hominum grege fuisse Tertulliani ætate, et forsitan diutius; nam Cyprianus Apellejanos quoque habet in enumeratione variarum sectarum hæreticarum ep. 73. ad Jubajanum p. 200. Subdubitare tamen licebit, an omnes hæ sectæ in Africa fixas habuerint sedes?

2. De *Quintilla* e Cajanitarum familia, si modo diversa est a Quintilla Montani assecla, quæ mihi quidem arridet sententia, nisi forte postea Montanistis se adjunxerit, adversus quam Tertullianus librum de baptismo edidit, eodem loco tradit: *nuper conversata istic* (Carthagine) *quædam de Cajana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, inprimis baptismum destruens.* De ea quoque dicit, eam *optime novisse pisciculos* (Christianos) *necare, de aqua auferens.* Hanc autem mulierem, quum liber scriptus videatur antequam Tertullianus Montanistis sese addixisset[13], seculo III. ineunte Carthaginem adiisse probabile est. *Cainitæ* vero, quorum sectæ asseclam Tertullianus eam facit, num revera extiterint, incertum est[14]. Hoc tantummodo tenendum, eos, si extiterunt, Gnosticis, fortasse Carpocratianis, imbutos fuisse opinionibus, sacramenta, utpote quæ essent res externæ et ad internam Christianorum vitam atque sanctitatem nihil conferentes, repudiasse.

3. *Carpocratis* ejusque discipulorum meminit quidem Tertullianus de anima c. 23. et 35. ut et auctor appendicis libri de præscriptionibus c. 48. nullo tamen addito indicio, cum vel ejus discipulos in Africam Proconsularem sectæ

Zervan-Akerene dictum; Deum Judæorum Christumque ex eo emanasse docuit: quæ quoque Apellis fuit opinio, luculentioribus verbis expressa. Consentiebat enim cum Catholicis; quamobrem Eusebius verbis μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ addit: καθὼς καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος. De Philumene Apellis duobus in locis libri de Præscriptionibus, capite 6 et 30, mentionem facit Tertullianus; e quibus vero, num Africam unquam adierit, colligi nequit. Alexandrina fuisse videtur: ad ejus dictamina Apelles suas φανερώσεις scripsit.

12 Hujus libelli meminit, de carne Christi c. 8.

13 Noesselt de ætate scriptorum Tertulliani Dissert. I. p. 7.

14 Walch Historie der Ketzereyen I. p. 607.

hujus coloniam deduxisse. Quod tamen veri quadam specie haud caret, quum Romæ, in Cephallenia Insula atque in Cyrenaica, ubi nuperrime Inscriptiones Carpocratianæ in lucem emerserunt[15], Carpocratianos scholas habuisse constet[16]. Haud vero diu perdurasse videntur; Origines enim, Tertulliani æqualis, nunquam in eos incidit[17].

4. De *Ophitis* nil certi occurrit. Leguntur tantum in appendice libri de præscriptionibus c. 47. et apud Cyprianum ep. 73.

5. *Valentinianos* Tertullianus commemorat *proserpentes* Scorpiaces c. 1. meo quidem judicio in Africa. Certis vero testimoniis de hac secta per Africam quoque sparsa destituimur[18]. Quamvis enim sub Tertulliani nomine supersit liber adversus Valentinianos, ex quo hoc faciliori negotio colligi posset, dubito tamen, an huic fides habenda sit, quum Semlerus eum totum fere ac integrum ex Irenæo compilatum esse probaverit[19]. Hinc quoque nescio, quid statuendum sit de Enniano Valentinianorum episcopo, quem nonnulli codices habent; licet bene sciam Valentinianos in externis a forma gubernationis Ecclesiæ Catholicæ parum recessisse. Ita vero habet locus libri adv. Valentinianos c. 37. *Accipe alia ingenia Carrucæ Enniani*[20] *insignioris apud eos magistri, qui et pontificali sua autoritate in hunc modum censuit etc.* Etsi vero nomen Enniani corruptum fuerit a librariis, pontificalis tamen auctoritas in omnibus codicibus legitur; unde saltem patere videtur, Valentinianos in Africa habuisse episcopos,

15 De Inscript. Cyrenaicis cf. Gesenii Commentationem de Inscriptione Phoenicio-Græca in Cyrenaica nuper reperta, ad Carpocratianorum hæresin pertinente. Halæ 1825.

16 Neander G. d. T. p. 191. De iis nuper egit Fuldner Commentat. de Carpocratianis, in Illgenii Hist. theol. Abhandl. III. p. 209.

17 Contra Celsum L. V. c. 62. p. 626. Ruæi.

18 Sæpius quidem Valentinus a Tertulliano commemoratur. v. c. adv. Gnosticos c. 10. adv. Marcionem I. c. 5. de præscript. hæret. c. 7. 33. 34. de anima c. 12. et s. p. In hisce autem locis de dogmate Valentini tantummodo agitur, sedes vero coetuum ab eo conditorum reticentur.

19 Tertulliani Opera Tomo V. p. 300.

20 Alias lectiones vide in editione Semleriana II. p. 186. Rigaltianam secuti sumus. Sic quoque habet Allix in vita Tertulliani p. 72.

aut præsides æquali ac episcopi apud Catholicos auctoritate instructos. Hi vero Valentiniani Afri videntur fuisse discipuli unius e multis illis, qui vestigiis Valentini insistentes, immutata tamen doctrina peculiares condidere sectas. Nam si ulla libro adversus Valentinianos fides est habenda, eo quo hic scriptus est tempore nonnisi unus Antiochiæ superfuit coetus, cujus præses Axionicus ipsam Valentini doctrinam servasset [21]. Valentinianorum baptismi meminit quoque Cyprianus, eumque rejecit [22].

6. Notissimus extat Tertulliani adversus *Praxeam* liber. Hic igitur, si a Tertulliano auctore iste liber profectus est, qua de re Semlerus dubitavit, quia ex Hippolyti contra Noetum disputatione magnam partem exscriptus est [23], quod tamen argumentum, quum stilus sit plane Tertullianeus, ad *νοθείας* maculam illi inurendam vix sufficiet, Carthagine aliquando versatus est, suamque, quæ *Modalistica* dicitur, dogmatis de S. S. Trinitate expositionem Afris commendare studuit. Sed refutatus fuisse videtur ab ecclesiæ Carthaginiensis doctoribus, suosque errores scripto recantasse [24]. Ait enim Tertullianus c. 1. *Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet apographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est, exinde silentium.* Ipse Tertullianus, si quid recte conjicio, cum eo dissputavit brevi antequam ad partes Montanistarum secederet. Adidit enim verba: *et nos postea agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a Psychicis.* Neque diuturna ecclesiæ Catholicæ cum Praxea fuit pax. *Ita aliquamdiu,* inquit Tertullianus, *per hypocrisin subdola vivacitate latitavit: et nunc denuo erupit.* Liber igitur quem adversus Praxeam edidit, in quo doctrina systematis theologici de Trinitate fundamenta posuit, quique primus eorum esse videtur, quos contra hæreticos condidit, anno circiter 204 et 205 [25]

---

[21] c. 4. *Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum ejus consolatur.*

[22] Epist. 73. ad Jubajanum p. 20. et ad Pompejum Ep. 74. p. 214.

[23] Ibid. p. 366.

[24] Neand. G. d. T. p. 482. 83.

[25] Noesselt de ætate scriptorum Tertulliani, Dissert. III. p. 29. De hoc libro, ut de aliis Tertulliani adversus hæreticos scriptis agit quoque Optatus libr. II. contra Parmen. *Praxeas, Sabellius, Valentinus, et ceteri, temporibus suis a Victorino Petavionensi et Zephyrino Urbico* (Romano Episcopo) *et Tertulliano*

scriptus est. Unde colligendum, Praxeam initio seculi III Carthagine commoratum fuisse. Iram autem Tertulliani, nuperrime cum Montanistis conjuncti, fervidi, ut Neophyti assolent, eorum asseclæ, et cum iis subordinationem in Trinitate statuentis[26], in Praxeam facile intelligemus, si meminerimus, fuisse hunc ipsum Praxeam, qui Episcopum Romanum ad concordiam cum asseclis Montani imprudenter initam solvendam commoverat[27]. Ejusdem quoque mentionem facit appendix libri de præscriptionibus c. ultimo, ut et *Victorini*, hominis ceterum ignoti, de quo, num Carthaginem adierit, nihil memoriæ proditum est. Plures fortassis, ut conjicit Neander p. 490, in Africa Proconsulari extitere asseclarum Praxeæ sectæ, cultiorum quidem et rudiorum; id quod ex verbis Tertulliani adv. Praxeam c. 27. colligit: *undique obducti distinctione patris et filii ..... aliter eam ad suam nihilominus sententiam interpretari conantur, ut æque in una persona utrumque distinguant...... et qui unum eundemque contendunt patrem et filium, jam incipiunt dividere eos potius quam unare.*

7. *Hermogenes* Afer, philosophus atque pictor, qui Tertulliano florente vixit, placita sua e Gnosticorum scholis hausta, scilicet: materiam, utpote fontem omnis mali, a Deo creatam haud esse, sed ab æterno extitisse; mundum animosque humanos ex eadem ortos esse cooperante Deo[28]; Dæmones immortalitate haud esse præditos, et quæ sunt cetera ejusdem furfuris, Carthagine disseminare studuit[29], asseclas nactus, quos Tertullianus adv. Hermogenem c. 25. *Materiarios* vocat, scommate ex doctrina eorum orto. Hic præterea artem suam exercendo Tertulliano bilem movisse videtur. Ait enim c. 1. de eo: *pingit illicite, nubit assidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius, et cauterio et stylo.* Cauterio enim adludit ad

---

Carthaginiensi, usque ad Cataphrygas, et ab aliis adsertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt.

26 Adv. Praxeam. c. 2. 8. Neandri G. d. T. p. 473. 80.

27 Adv. Praxeam. c. 1.

28 *Dehinc alibi desiderare componi a Deo desiderat formationem, quæ sectatur informitatem.* Tertull. adv. Hermog. c. 42. et Neandri Geist des Tertullian p. 424.

29 Walch. l. l. Moshemius de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 433.

picturum encausticam, quam Hermogenes exercuisse videtur, quo instrumento opus erat ad liquefaciendam levigandamque ceram. Attamen illicitæ istæ, quas Hermogeni crimini vertit, picturæ, vix fuerunt earum e genere, quæ ad religionem Ethnicorum pertinebant. Hujusmodi enim Septimius haud dubie acrius carpsisset; crediderim potius Hermogenem in argumentis ex historia sacra pingendis versatum fuisse; nam Gnosticos imagines Christi et Apostolorum mature penes se habuisse constat[30]. Hæ vero, quam displicuerint Catholicis ob idololatriæ ingentem pavorem, non est quod uberius exponam.

De Hermogene parum nobis constat. Disputatur an idem fuerit cum illo Hermogene, adversus quem Theophilus librum edidit[31]; qui quidem Antiochenus Episcopus, quum circa annum 180 floruerit, Hermogenis fuisse poterit æqualis. Diversum tamen ab Afro statuit Moshemius[32]. Mihi quidem idem fuisse videtur, contra quem Origenes quoque librum edidit, cujusque meminit Pantænus, Alexandrinæ scholæ doctor, in fragmento in eclogis propheticis servato[33]. Hunc autem Hermogenem Tertullianus bis refutavit, libro nimirum, qui extat, brevi post refutationem Praxeæ edito, quo sententias Hermogenis de materia et de origine mundi vehementer et contumeliose oppugnat: altero de censu animæ inscripto, quo opinionem ejus de natura animæ aggressus est (de anima c. 1.). Hic injuria temporum interiit.

Cum Hermogene conjungit Præscriptt. c. 30. *Nigidium* quendam, addit vero: *Nescio qui;* unde patet, hunc Carthagine haud fuisse.

8. De *Privato*, hæretico Afro, infra agetur.

9. Quæ in appendice libri Tertullianei de præscriptt. c. 41. de hæreticis maxime *Gnosticis* traduntur: *Itaque* (in castris rebellium) *alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam et Laicis sacerdotalia munera injungunt*, aperte sunt falsa. Nam

---

30 Mémoires de Tillemont III. 29. Jablonsky Opuscula III. 304. Kirchliche Alterthümer der Gnostiker p. 231.

31 Eusebii Hist. Eccles. IV. 24. Theodoreti fabul. Hæret. I. c. 19.

32 Commentar. de rebus Christianorum p. 435.

33 Routh Rel. Sacræ I. p. 339.

Gnosticos carere haud potuisse placitorum suorum doctoribus iisque eruditis, per se patet; quos igitur haud e proletariis hominibus, nullo ordine servato, adsciscere potuerunt. Neque hoc loco Gnostici Afri unice tanguntur, sed omnes per terrarum orbem. Præterea Gnosticos mysteria Græcorum imitatos fuisse, valde est verisimile[34]. In his vero fuere Hierophantæ, Daduchi aliique sacrorum ministri, qui haud dubie ab inferioribus ad majora munera ascenderunt. Sed in ejusdem capitis loco de mulieribus hæreticis dicit auctor, quisquis ille fuerit: *ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendère, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tinguere.* In libro de baptismo c. 17. Tertullianus *petulantiam mulieris* increpat, *quæ usurpavit docere*, et c. 9. de velandis virginibus inquirit, *an virgini liceat docere, tinguere, offere*[35] etc. Hisce omnibus Gnosticæ mulieres indicantur et præcipue *Quintilla*, quæ quidem, ut de *Philumene* aliisque constat, in Gynæcea et ubicunque locorum faciles aures invenissent, sese insinuarunt atque fanatica sua placita propagarunt. Verum enimvero pace boni Tertulliani dictum esto: annon idem hoc Montanistis, quibus ipse adhæsit, licet nunquam mulieribus apud eos docentibus et vaticinantibus hoc objecisse reperiatur, jure meritoque culpæ dabatur? annon hodieque mulieres præsident coetibus fanaticis? Unde quam sapiens Pauli Apostoli illud fuerit præceptum ab ipso Tertulliano de vel. virg. c. 9. et adv. Marc. V. 8. laudatum, quo mulieri in ecclesia silentium injungitur (1 Cor. XIV. 34.), abunde apparet.

Observandum denique, vix statui posse, Gnosticas istas opiniones ad Christianos e Punica stirpe illa penetrasse ætate, quum hi, rure degentes, linguaque parum culta usi, ne verba quidem haberent, quibus illarum sectarum præcones suas sententias atque allegorias exprimere possent; Gnosticos vero, aliunde profectos, Punicam linguam vix calluisse. Itaque hi sectarii Carthagine et in majoribus unice quærendi videntur urbibus. Longe vero aliter rem cum Montanistis, et insequenti tempore cum Donatistis, atque Circumcellionibus horum

---

34 Confer, si tanti est, quæ hac de re diximus in Antiquitatibus Gnosticorum sacris p. 6. Inde magnum illud discrimen, quod inter *Docentes* et *Discentes* ponebant.

35 Neandri G. d. T. p. 205.

e castris profectis, se habuisse, quivis historiæ ecclesiasticæ vel tantillum peritus facile intelliget. At nihilo tamen secius exiguum tantummodo Gnosticorum in Africa numerum exstitisse, contra Cyprianum, quamquam exaggerantem, asserere vix licebit. Nec opus ut statuamus, omnes Gnosticos in Africa habitantes fuisse origine Afros; ex omnibus enim orbis terrarum partibus confluxisse poterant.

11. *Encratitas, Hydroparastatas, Aquarios,* (sunt hæc nomina hominum qui in Sacra Coena loco vini aquam adhibebant [36]) in Africa quoque extitisse, conjici forsan poterit ex verbis Cypriani ad Cæcilium[37]. Hi ex nimia continentia ne in sacramento quidem Altaris vinum admiserunt; et forte jam ante Cyprianum in Africa fuerunt, licet Tertullianus nihil de iis commemoret; nisi quod in appendice libri de præscriptionibus c. 52. Tatiani nomen occurrit. Forsitan mulieres quoque Christianæ hoc Aquariorum nomine pungebantur, aqua in S. Coena usæ, ne odor matutini meri eas persecutionibus publicis domesticisve obnoxias redderet[38]. Alludere videtur ad hoc Cyprianus ep. laudata 63. p. 155. *Nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi.*

---

36 De iis conf. Walchium Historia der Ketzereyen I. p. 436.

37 Epist. 63. p. 52. *Miror satis, unde hoc usurpatum sit, ut contra Evangelicam et Apostolicam disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere.*

38 Cf. Dissertationem nostram: die Christin im heidnischen Hause, 1828. p. 47. 48.

CAP. XXI.

TERTULLIANUS.

1. Quum vita hujus scriptoris in ecclesia Africana, immo universa Occidentali, celeberrimi in illa incidat tempora, in quorum rebus, quantum ad Africam attinent, enarrandis versamur, atque maxima eorum pars, quæ tradidimus et porro tradémus, ex ejus hausta sit scriptis, instituti ratio paullo uberius de eo agere jubet. Celeberrimis, quos vetus ecclesia habuit, doctoribus jure meritoque accensetur. Tanto igitur magis dolendum est, de vita ejus nonnisi pauca memoriæ prodita inveniri, quæ diligenter collegerunt Pamelius [1], Allixius [2] et Neander [3]. *Quintus Septimius Florens Tertullianus* Carthagine honesto loco natus, patre centurione proconsulari, Ethnico cultui addicto, in eadem superstitione educatus fuit atque perseveravit usque ad maturam ætatem. De anno ejus natali nihil constat. Quum autem vitam protraxerit ultra annum 211, quo librum ad Scapulam, eorum qui supersunt ultimum, scripsit, et Hieronymo auctore usque ad decrepitam ætatem vixerit [4], octogenarium vel octogenario majorem obiisse perquam probabile est. Itaque mors ejus in extrema Caracallæ tempora, in annum plus minus 217, cadere videtur, et annum circiter 135, Hadriano Augusto, natalem ejus fuisse conjicere licebit [5]. In adolescentia dissolutis fuit moribus [6]; attamen studiis addictus. Juris enim fuit peritissimus [7], æque ac religionum Ethnicarum atque philosophicarum quæ in veteri orbe floruerunt sectarum, Græce quoque doctus [8].

---

1 Vita Tertulliani, editioni operum ejus Pamelianæ, ut et Rigaltianæ, præmissa.

2 Dissertatio de Tertulliani vita et scriptis.

3 In libro sæpe laudato Geist des Tertullian.

4 De scriptoribus ecclesiasticis c. 64.

5 Viginti quinque annis juniorem facit Morcellus, scilicet anno circiter 160 natum. II. p. 43. una cum Tillemontio, Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique Tome III. p. 196.

6 Hoc ipse de se fatetur de spectac. c. 19. de resurr. c. 59. de poenit. c. 4. et 12. de cultu feminar. c. 1.. Allix. p. 10.

7 Eusebii Historia Eccles. II. 2. Neander G. d. T. p. 1-3.

8 Scripsit etiam libros Græco sermone, de spectaculis, Apologiam (Noesselt de ætate Scriptor. Tertulliani, Dissert. I. p. 30. et 37.) atque de cultu feminarum Noesselt l. l. Dissert. II. p. 16.).

Itaque haud adeo juvenem[9], sed ætate jam provectiorem, religionem Christianam amplexum esse probabile est, extremis Marci Aurelii annis, vel potius sub Commodo. Primus enim quem edidit liber, ad martyres, scriptus est anno 197. Severi Augusti quinto, quo Clodius Albinus interiit. Brevi vero post baptismum in clerum ecclesiæ Carthaginiensis cooptabatur[10], atque Hieronymo teste ejusdem presbyter permansit ad mediam usque ætatem, quo tempore Montanistis, quos, teste Augustino, antea destruxerat[11], a Proclo forsitan seductus[12] sese adjunxit: nam brevi, postquam a Catholicis secessisset, Praxeam adgressus est, anno, ut videtur, 204-205[13], *agnitio et defensio Paracleti a Psychicis*, h. e. ab ecclesia Catholica, ut ipse adv. Praxeam c. 1. fatetur, eum *disjunxit*. An vero a Carthaginiensi Episcopo anathemate fuerit percussus[14], incertum, licet in scriptis ejus loci extent, qui hanc in partem afferri possint[15]. Uxorem

---

9 In juventute Christianum factum statuit Morcellus II. p. 43.

10 De dubiis, an unquam in clerum fuerit cooptatus, vide Allixium p. 11. et Neandrum p. 5. Leviora sunt hæc. Presbyterum præterea appellant Hieronymus et auctor libri, cui titulus Prædestinatianus. Afferri quoque poterit pro presbyteratu Tertulliani, quod pallium philosophicum, quo clerici Christiani utebantur, sumserit; et in coetu Montanistarum cum docuisse, ex libri de anima c. 9. patere videtur. Cf. caput sequens.

11 De Hæresibus c. 86.

12 Ita conjicit Morcellus p. 66. Baronium sequutus; quod tamen negat Allixius p. 38.

13 Ex Noesselti sententia anno fere 200. Dissert. I. p. 8. a clero Romano, ubi per aliquod tempus degerat, ut Hieronymus tradit, exacerbatus; nisi, quod magis adridet, triste eum ingenium impulerit, accedentibus forte cum Romanis simultatibus. Morcellus eum anno 205 defecisse statuit p. 65.

14 Sic Morcellus II. p. 68. a Cyro anno 206. ei omnibus sacris interdictum scribit. Si ita est, malim ab Agrippino, qui illa ætate mea sententia ecclesiam Carthaginiensem rexit. In Agrippinum infensum fuisse Tertullianum, plura indicare videntur.

15 De jejun. c. 1. *Novitatem objectant, de cujus illicito præscribant, aut hæresin judicandam, si humana præsumtio est; aut pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritalis indictio est: dum quoque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus.* Et de monogam. c. 1.

duxerat ante defectionem ad Montanistas, probabiliter quoque, antequam Presbyter factus esset[16], se multo juniorem; id quod inde colligere licet, quod secundas nuptias post sua fata ei tantopere dissuadet. Omnem suam vitam religioni Christianæ adversus Ethnicos atque Hæreticos asserendæ, deinde Montanistarum decretis adversus Catholicos defendendis impendit, et in hac secta haud dubie perseveravit [17]. Ipse familiæ Montanisticæ a suo nomine appellatæ fuit auctor, de qua capite sequenti agemus. Multos vulgavit libros, haud omnes superstites, quorum series ex ipso eorum argumento eruenda est; qua in disquisitione post auctores antiquiores, eorumque erroribus emendatis, egregiam operam collocarunt Noesseltus [18] et Oelrichius [19], quos sequimur auctores.

2. An idem fuerit cum Tertulliano J. C. cujus in Digesto supersunt fragmenta, de quibus una cum aliis Jurisconsultorum reliquiis edendis cogitaverat Gregorius Majansius Antecessor Valentinus [20], disceptatum est. Magnum illum Cujacium hoc statuisse lego [21]. Sed Majansio parum credibile videtur, licet Tertullianus jurisconsultus sub iisdem Imperatoribus ac Septimius noster floruisse videatur. Eam vero sententiam eruditus Hispanus amplexus est, jurisconsultum illum fuisse propinquum nostri, de quo loquatur auctor libri appendicis de præscriptionibus c. 39.; si modo cogitaverit de ultimorum hujus libri capitum suspecta fide [22]. Et profecto, si ex dictionis diversitate hac de re sententiam ferre licet, Majansio, Menagio, Everardo Ottoni aliisque utrosque distinguentibus assentiendum erit, quum Tertulliani J. C. oratio sit dilucida atque limpida, nostri vero obscura, abstrusa atque sæpenumero molesta lectorum

---

monogamiæ disciplinam in hæresin exprobrant.

16 Allix. p. 15.

17 Cf. Neandrum p. 509. Ejus ad extrema usque rigorem agnoscit Morcellus p. 93. 94.

18 Libro laudato de vera ætate scriptorum quæ supersunt Q. Septimii Florentis Tertulliani, Dissertationes III. Halæ 1757-59.

19 De scriptoribus Ecclesiæ Latinæ sex priorum seculorum, p. 17.

20 Epistolarum libri VI. (Lipsiæ 1737) p. 280.

21 Ibid. p. 178.

22 Ibid. p. 192-196.

interpretumque crux[23]. Attamen hæc utcumque sese habeant, argumentum enim, in quo tractando versamur, minime tangunt, nemo negabit Tertullianum nostrum fuisse virum, ut ait Lactantius, *in omni genere litterarum peritum*[24]. Multa enim variaque lectione, penitiori rerum antiquarum, earum inprimis quæ religiones ethnicorum et decreta philosophorum spectant, cognitione, Clementi, Eusebio, Arnobio atque Lactantio comparandus, et si Vincentium Lerinensem (Commonitor. c. 24.) audias, *apud Latinos omnium facile princeps judicandus*, vir tamen ex Malebranchii sententia[25], quam quidem omnes facile comprobabunt, eruditissimus fuit memoria plus quam judicio, imaginandi facultate plus quam intelligendi intensione et extensione. Ejus oratio neque pura est neque tersa et satis dilucida, sed robore viget et nervis, amni qui rapido et turbido flumine per littora fertur comparanda, obscura ob nimium pressi generis scribendi studium. Inde et insolentia in dicendo, dum brevitatis causa utitur vocibus, quæ aptæ ipsi videri poterant tritæque forsan ex significatione quam in Africa habuerunt, quarum autem sensus ejus acumen fugiunt, qui notionum conjunctionem cum significatione illa haud assequitur, quique similitudinem inter res maxime a se invicem remotas, in quibus indagandis delectabatur, haud ita facile intelligit[26].

3. Ingenio fuit acri, vehementi, tristi, dominandi cupido. Hinc facile colligitur, eum rigidiores semper amplexum fuisse sententias, adversariis nil cessisse, pessima de iis semper statuisse, Montanismo sese totum dedisse; neque dubitandum, idem hocce quod diximus ingenium eum impulisse, ut ipsis in Montanistarum castris ducem partium sese præberet. Mores ejus severi erga se ipsum aliosque, abjecta, contemtui odioque habita omni elegantia atque venustate, quam ut impiam et idololatricam abhorruit. Theologia ejus atque religio æque severa atque rigida. Deum timet potius quam amat, judicem agnoscit pro tribunali sedentem et formulas juris positivi observantem; quæ

---

23 *Creber in sententiis, difficilis in loquendo.* Hieron. Epist. ad Paulinum.

24 Institutiones Divinæ Lib. V. c. 1.

25 Recherches de la verité, Livre II. c. 3.

26 Verba sunt Oelrichsii p. 30. Testimonia Augustini, Hieronymi, Vincentii Lerinensis aliorumque collegerunt Rigaltius in editione operum ejus, et Majansius epistol. p. 192. 193.

quidem ex studio legum Romanarum præconceptæ notiones in Christianam Tertulliani religionem migrarunt. Inde quoque summus quem antiquitati atque traditioni ecclesiæ Africanæ tribuit honor; inde sententia ejus de unitate ecclesiæ, extra quam nulla sit salus speranda, omniumque hæreticorum contemtus odiumque acerrimum; et quum ipse ad Montanismum, qui pro ejus ingenio in mentem ejus sese quam maxime insinuare debebat, transiisset, idem hic in Catholicos, quos Psychicos appellat [27], vehemens animus. Attamen restincto interlapsis nonnullis annis aliquo modo furore, se iis in defensione doctrinarum in ecclesia receptarum adversus hæreticos adjunxit, majoremque cum iis consensum vel saltem mitiorem de iis sententiam declaravit v. c. in libro de præscriptionibus hæreticorum [28]. Tametsi vero, secessione a Catholicis facta, Montanismum amplexus fuerit, mirum quantum posteris placuit, eosque in suas sententias traxit. Scilicet ea, quæ de unitate ecclesiæ docuerat, a Cypriano, ipsius illius sedis Episcopo, cum qua Montanistis dimicandum erat, magis expolita atque aucta fuerunt [29]: disciplina morum ab eo commendata monastica studia aluit; termini theologici, quos primus adhibuit, v. c. *Unitas Trinitatis* (adv. Praxeam II. 12.) *Trinitas unius divinitatis, Filium ex Patre procedere* (adv. Prax. c. 2. 7.). (De pudicitia c. 11.). *Persona in Trinitate,* (adv. Prax. sæpius et alias) *voluntas Dei pura* (exhort. castitatis c. 3.); *liberum arbitrium* (adv.

---

27 Anima quidem præditos, quam Deus Adamo inflavit, sed efficacia spiritus illius destitutos, quo discipuli Paracleti inspirabantur. Episc. Lincoln. Eccles. History p. 257.

28 Hoc etiam notat Hieronymus in Catalogo virorum illustrium.

29 Cyprianum ideo Tertullianum maximi fecisse, refert Hieronymus de scriptor. ecclesiasticis c. 53. et nunquam ab ejus lectione unam diem præteriisse, atque a notario suo verbis *da magistrum* volumina ejus poposcisse. De hac Carthaginiensis Episcopi erga Tertullianum reverentia Labbeum dubitare lego. Hoc quidem certum est, Tertulliani in Cypriani operibus mentionem nunquam fieri, quanquam ejus laudandi sæpe admodum occasionem habuit. Fortassis nomen ejus ob Montanismum reticuit. Hieronymus enim rem ut certam narrat, ex testimonio amici sui Pauli Concordiæ Italiæ commorantis, qui hoc sibi ex ore ipsius Notarii, quo usus erat Cyprianus, retulerat.

Marcionem II. 5.); *satisfacere*, unde *satisfactio* (ibid. IV. 21.), *sacramentum baptismatis et eucharistiæ* (ibid. IV. 34. de baptismo 1. de corona milit. 3.) et alia [30] ex ejus libris in scripta P. P. Latinorum migrarunt, ita ut terminologiæ theologicæ Latinæ auctor vere dici possit, ejusque mens in operibus theologicis ecclesiæ Occidentalis multa per secula spiraverit [31]. Paradoxa tamen haud ita pauca statuit, in quibus nunquam cum eo consensit ecclesia; e quorum genere sunt: Deum esse corporeum, quod nihil incorporeum existimaverit. Filium Dei Christum semper visum ab hominibus in vera, etsi non nata, carne. Angelorum apparitiones fieri in vera carne humana, quam ad tempus assumserint. Animam humanam ex traduce ab Adamo inde esse, in utero materno seminari cum carne, pariterque cum ipsa sortiri sexum; eam esse corpoream (ex visionibus forte Montanisticis, cf. de anima c. 9.); nihilque pati posse sine aliquo corpore. Animas hominum pessimas post mortem in Dæmones converti, et plura [32]. Proinde nil mirum, si adversarios quoque habuit, non propter Montanismum unice, sed hujusmodi quoque opinionibus infensos, inter quos eminet Gelasius Papa, qui decretum tulit celeberrimum Romæ anno 495. opuscula Tertulliani apocryphorum nomine notans [33].

4. Quod denique ad libros ab eo vulgatos attinet, eorum recensebimus titulos secundum Chronotaxin a Noesselto constitutam, adjectis deperditorum inscriptionibus.

---

[30] C. C. Birch loci theologici ex Tertulliano collecti. Dissert. inauguralis Hafn. 1790. p. 58.

[31] Tillemont Mémoires III. 85. Münscheri Dogmengeschichte I. 138. Ejusd. Darstellung von Tertullians moralischen Ideen, in Henkes Magazin VI. p. 102. Ballenstedt über Tertullians Geistesgaben.

[32] De toto hoc argumento confer Casim. Oudini commentarium de scriptoribus ecclesiæ antiquis Vol. I. p. 219. ubi loci quoque huc facientes e scriptis Tertulliani excitantur.

[33] Extat in corpore Juris Canonici D. XV. c. 3. accuratissime editum in appendice ad Justi Fontanini librum de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum. ed. Lugd. Bat. p. 190.

Anno Christi.	*Libri scripti a Tertulliano adhuc Catholico.*
197.	Ad Martyres.
198.	De spectaculis.
	De idololatria.
	Ad Nationes libri 2.
199.	Apologeticus.
	De testimonio animæ.
	Dubiæ ætatis ante susceptum Montanismum.
	De oratione.
	De baptismo.
	Ad uxorem libri 2.
	Adversus Judæos, si Tertulliani est misera hæc e libris adversus Marcionem compilatio.
	Libri post susceptum Montanismum.
201.	De corona.
201 aut 2.	De habitu muliebri.
	De cultu feminarum.
202.	De fuga in persecutione.
204.	Scorpiace.
207 aut 8.	Adversus Marcionem lib. 1.
208.	De pallio.
211.	Ad Scapulam.
	Incerto anno, sed post susceptum Montanismum.
	De patientia.
	De virginibus velandis.
	De exhortatione castitatis.
	De monogamia.
	De jejuniis.
	De pudicitia.
	Adversus Praxeam.
	Adversus Hermogenem.

Anno Christi.

De anima.
Adversus Valentinianos.
De præscriptionibus hæreticorum.
De carne Christi.
De resurrectione.
Libri II-V. adversus Marcionem.
De poenitentia[34].

Interierunt.

De incommodis nuptiarum, a Tertulliano adolescente adhuc scriptus[35].
De paradiso.
De spe fidelium.
De ecstasi libri VII. qui iidem videntur esse, quos Montanismum defensurus contra Soterem Papam et Apollonium Episcopum Ephesinum scripsisse fertur. Utrumque librum ei tribuit auctor Prædestinatiani; cf. Neandrum G. d. T. p. 502.
Adversus Apellejanos.
De vestibus Aaron.
De censu animæ.

Libri Græce scripti, aut in lingnam Græcam conversi.

De corona.
De virginibus velandis.
De baptismo.
De cultu feminarum.
De spectaculis.
Apologeticus.

---

34 Hieron. lib. adv. I. Jovinian. c. 13.

35 Cf. Præfationem Tomo quinto Tertulliani Semleriani præmissam.

Carmina, vix genuina, recensere nil attinet: neque cum Semlero statuendum est, eum carmina Sibyllina conscripsisse, a variis haud dubie auctoribus profecta, in quorum numero quin Montanistæ quoque fuerint, dubitandi nulla est ratio [36].

CAP. XXII.

MONTANISTÆ.

1. Montanistarum secta, in Phrygia M. Aurelio Imperatore a Montano condita [1], mox per multas ecclesias pervagata, plurimos, Enthusiasmo quem aluit correptos, nacta est asseclas; sed multos quoque, eosque doctiores et vera religionis mente probe imbutos, habuit adversarios. Cum Catholicis in omnibus fere doctrinæ Christianæ capitibus consensit; discrepavit vero ab iis in eo, quod Montani ejusque sociorum vaticinia tamquam divina venerata, Ecclesiæ notionem spiritualem atque spirituale omnium Christianorum sacerdotium vividius exponeret, in controversiis ad idem hoc provocaret, atque magnum disciplinæ rigorem et præcepta morum omnem mediocritatem excedentia magnopere commendaret [2], inprimis vero inediam ex arbitrio susceptam laudibus cumularet [3].

---

[36] Semleri judicium de varia scriptorum Tertulliani indole denuo examinavit Episcopus Lincolnensis Eccles. History p. 71. sequ.; simulque capp. I. et II. Tertulliani scripta recensuit, suamque de annis, quibus singula edita sunt, sententiam dixit.

1 Eusebii Chronicon ad anno 172. Walchs Historie der Ketzereyen I. 615. 16.

2 Wernsdorf de Montanistis p. 2.

3 Tertull. de patientia c. 13. Montanus Xerophagiarum duas Hebdomadas et tres quotannis Quadragesimas instituerat. De Xerophagiis hoc testatur Tertullianus in libro de patientia; de Quadragesimis Hieronymus Epist. ad Marcellam, et ad cap. I. Aggæi. Sed Xerophagias nihil aliud fuisse quam duas Quadragesimas, probabile est. Routh Rel. Sacræ II. p. 61.

In rigore autem illo, erga lapsos maxime exercendo, plerumque cum iis consensisse videtur, qui postea a Novatiano nomen sortiti sunt[4], quorum tamen decreta Novatiano antiquiora fuisse neque omnem modum excessisse Ven. Neander nuper docuit[5]. Hinc fortassis haud injuria colligendum, ipsum Novatum, qui Novatiano adhæsit, e castris Montanistarum Afrorum processisse, Novatienos autem multa e Tertulliano hausisse Pacianus perhibet[6]. Fanatica omnino Montanistæ aluerunt studia, fanaticisque addicti fuerunt exspectationibus de novis Hierosolymis brevi coelitus descensuris, in quibus nonnisi pii justique regnaturi essent; quas penitius cognosceremus, si superesset Tertulliani liber *de spe fidelium.* In nonnullis quoque ritibus a Catholicis discesserunt. Nonnulli enim in Agapis caseo usi videntur, id quod e Passione S. S. Perpetuæ et Felicitatis colligimus[7], cujus vero a ritu inter reliquos Christianos recepto diversitatis causas, quæ haud dubie erant mysticæ[8], ignoramus.

2. Huic sectæ Episcopus Romanus, sive Pius, sive Eleutherus, sive Victor is fuerit[9], medio seculo II. initio quidem favebat, deinde vero, a Praxea meliora doctus, literas pacis ad ejus coetus jam datas revocavit (Tert. adv. Prax. c. 1.). Roma Carthaginem deferri facile potuit, ubi Tertulliani fervidum atque ad nimium rigorem proclive ingenium in suas partes allexit; nisi forte, dum Romæ commorabatur, ejus placitis imbutus jam fuerit. Eum tamen Montanismum per Africam haud disseminasse, Noesselto[10] assentior, licet ex altera parte valde mihi arrideat conjectura Rev. Katerkampii Theologi Monasteriensis, Tertullianum

4 Remissionem peccatorum Deo unice, minime vero Ecclesiæ, competere docebant. Neander p. 270.

5 Der h. Johannes Chrysostomus II. p. 130.

6 Epistola 2 ad Symphorianum, in Bibl. Max. P. P. IV. p. 305. Walch Historie der Ketzereyen II. 261.

7 Cf. Noesseltum III. p. 47.

8 Hancce casei buccellam Augustinus putat fuisse signum dulcedinis felicitatis illius, qua gavisura esset Perpetua.

9 In Victore consentiunt Tillemont Hist. des Empereurs II. p. 324. Allix p. 26. Wernsdorf de Montanistis p. 35. et Routh. Rel. Sacræ I. 261. quæ quoque mihi probabilior esse videtur sententia. Eleutherum mavult Neander l. l. p. 486.

10 De ætate Scriptor. Tertulliani Dissert. III. p. 48.

primum fuisse qui Montanistarum decreta in ordinem aliquem redegerit [11]; quamobrem ei fortassis comparari quodammodo poterit Menno Simonis, Systematis Theologici nonnihil purioris apud Anabaptistas conditor. Quantum autem augendæ Montanistarum familiæ profuerit Tertulliani ad eandem accessio, facile est intellectu. *Fuit* enim, ut verbis utamur Vincentii Lerinensis, *in ecclesia magna tentatio* [12]! Multa ejus scripta Montanismum sapiunt, quæ quidem, licet difficile interdum sit ab iis, quæ Catholicus adhuc edidit, distinguere, quum omnes fere eandem spirent mentem, vix accuratius recenseri poterunt, quum a Noesselto tentatum est [13]. Neque ista scriptorum ejus in duas classes distributio impedit, quo minus utrisque in historia dogmatum rituumque Christrianorum diligentius examinanda uti queamus, quum, quod jam monui, Montanistæ a doctrina publica parum vel nihil recessissent, et cum Catholicis semper adversus omnes hæreticos fecissent; qua quoque de causa eos nunquam hæreseos insimularunt, sed Psychicos tantummodo appellarunt [14]. Enthusiasticæ vero eorum exspectationes, quas majori tantum quam potior reliquæ ecclesiæ pars gradu fovebant, haud difficulter dignoscuntur. Neque ea, quæ de visionibus et de furore, quo sua vaticinia edebant, quem ἔκςασιν vocabant [15], atque de

---

11 Das erste Zeitalter d. Kirchengeschichte I. p. 258. Montanistarum de Paracleto notiones exposuit Neander G. d. T. p. 248.

12 Commonitorium c. 24.

13 Noesselt. Dissert. III. p. 41.

14 Tertullianus ipse, quamquam in Catholicos incitatiore esset animo, initio libri de monogamia distinguit inter Hæreticos et Psychicos. Catholicos a Valentinianis quoque appellatos fuisse ψυχικούς, docet Clemens Alexandrinus Stromat. IV. §. 13. p. 605. Potter.

15 De hac ecstasi suos et Psychicos, h. e. Catholicos, dissentire ait Tertullianus adv. Marcionem III. 22. Catholici enim contra Montanistas monebant, veros prophetas, qui spiritu Dei repleti essent, quieto et tranquillo animo futura prædicere, pseudoprophetas vero, qualis fuerit Montanus, cum furore et insania loqui. Auctor anonymus contra Cataphrygas ap. Euseb. H. E. V. 17. Idem hoc fatetur Tertull. adv. Marc. IV. 22. *Gratiæ extasis amentia. In spiritu enim homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, de qua inter nos et Psychicos quæstio est.* Cf. Episc. Lincoln. p. 6. nota 4. Epipha-

Exorcismis[16] habuerunt a Catholicis diversa, quæque tanti fecere, ut ipsa eorum doctrina *nova Prophetia* diceretur[17], Catholicis unquam a viris antiquitatis Christianæ peritis tribuentur.

Huc denique accedit, duas Montanistarum extitisse sectas, quarum altera *κατὰ Πρόκλον*, qui haud dubie idem erat cum Proculo[18], dicebatur, altera ab Aeschine nomen sortita erat[19]. Quorum priorem, ab Eusebio quoque commemoratum[20], Montanistas Carthaginienses sectatos fuisse, vel ex eo fit probabile, quod Romæ per aliquod tempus commoratus est, qua in urbe Cajus disputationem adversus eum habuit librumque edidit[21]. Ejus quoque nomen legitur in libro adversus Valentinianos c. 3. ubi, ut Afer, *noster* vocatur[22].

3. Quibus sic universim constitutis, ex magno librorum numero a Tertulliano, Montanista jam facto, in vulgus emisso, et ex fervore, quo Catholicos insectatur atque Montanistas defendit, magnum Carthagine et in vicinia Montanistarum fuisse numerum colligo, et Tertullianum fortasse eorum coetibus præfuisse, Doctorisque munus apud eos gessisse[23], quandoquidem illo tempore Montanistarum atque Catholicorum dissidia in schisma nondum erupisse videntur;

---

nium Hæres. 48. eandem ecstasin improbantem; et Routh I. p. 100.

16 Catholici spiritum erroneum objurgarunt et ultra loqui prohibuerunt, Montanistæ ad loquendum plura provocarunt. Routh I. 416.

17 In fragmento Serapionis apud Euseb. H. Eccl. V. 19. Tertull. de jejun. c. 1. contra Marcionem III. 24. IV. 22. de resurr. carnis extrem. Firmilianus in epistola ad Cyprianum, alii cf. Routh I. 474. Vix vero exstitit singularis aliquis hujus nominis liber, quæ fuit C. F. Schmidii opinio, Historia antiqua et vindicatio Canonis Sacri Vet. et Novi Testamenti, p. 319. 537.

18 Walch Historie der Ketzereyen I. p. 652.

19 De Præscript. c. 52.

20 Historia Eccles. VI. c. 20.

21 Hieronymus de viris illustribus c. 59.

22 Noesselt de vera ætate scriptor. Tertull. III. p. 30.

23 Hoc colligo ex loco de anima c. 9. *Forte nescio quid de anima disserneramus, cum ea soror in spiritu esset.* Concionem vero habuit coram plebe, ut sequentia: *post transacta solemnia et dimissa plebe,* docent. Itaque, nisi Tertullianus Montanistarum eo tempore Episcopus fuerit, Montanistæ morem illum ecclesiæ Africanæ, qui ad

unde, si res nostrorum seculorum cum prisca ecclesia componere licet, par forsan Catholicorum et Montanistarum ratio fuit illius, quæ inter Evangelicos et fratres qui Moravici dicuntur obtinet, qui, licet Augustanæ sint Confessioni addicti, collegium tamen seniorum propriosque habent episcopos suarum rerum moderatores[24]. Tertullianum autem maxima, et post mortem quoque, inter Montanistas floruisse auctoritate, videre est in Augustini libro ad Quodvuldeum c. 6. (8.), *Tertullianistas* commemorante, qui Hipponensi hoc Episcopo florente, duobus fere post Tertullianum seculis, adhuc extitere. Tertullianum autem haud omnem cum Catholicis solvisse nexum, patet ex libro de fuga in persecutione Fabio inscripto, qui tamen ex capite 1. noscitur haud fuisse e Montani sectatoribus.

Illud denique nulla uberiori demonstratione indiget, Montanistas Carthagine coetus habuisse: locos enim omnes huc facientes sedulo collegit Tillemontius[25], in quibus testimonia Tertulliani c. 3. de fuga et c. 9. de anima rem extra omnem dubitationis aleam ponunt.

4. Eadem Montanismi in Africa fuit indoles, quæ alibi. Jejunia, xerophagiæ[26], detestatio secundarum nuptiarum, quas Tertullianus quam maxime

---

Augustini usque tempora valuit, quo non nisi episcopis concionari licitum erat, haud observarunt. Prophetiæ enim donum, quocum extraordinaria docendi facultas haud dubie conjuncta erat, concessum sibi esse, Tertullianus nullo, quod sciam, loco indicat.

24 De episcopis Montanistarum vide Hieronymi epistolam ad Marcellam 54. (al. 57.).

25 Mémoires II. p. 343.

26 *Arguunt nos*, verba sunt Tertulliani, de jejuniis adv. Psychicos, *quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus; quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia et uvidioribus quibusque pomis, nec quid vinositatis vel edamus vel potemus; lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui.* Unde cernitur, quomodo jejunia Montanistarum a Catholicorum diversa fuerint. Jejunia quoque Montanistis indifferenter habenda docet ejusdem libri c. 2. *ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et causis uniuscujusque.* Vide quoque c. 13.

respuit; coelibatus clericorum, separatio, quantum fieri potuit, ab omni cum Ethnicis commercio, summa in persecutionibus constantia, quæ vel fugam abhorruit; severitas morum omnem modum excedens, summus disciplinæ rigor, inspirationes divinæ [27], exspectatio denique regni coelestis a Paracleto promissi et mox adventuri: hæc fere summam constituunt enthusiasticorum Montanismi dogmatum. Nova Hierosolyma ardentissimis votis exspectabant omnes qui huic sectæ nomen dedissent, ex qualibet re et quocunque phænomeno omen captantes. Pepuzam Phrygiæ, postea ipsa Hierosolyma, novi regni futuram sedem exspectarunt, et hac inprimis spe Christianos a Judæis inflatos fuisse mirum haud videbitur ulli, qui de summo Judæorum natalis soli amore cogitaverit. *Relatum esse e Judæa,* scribit Tertullianus adv. Marcionem III. c. 25. *ibi per quadraginta dies ea* (Hierosolyma coelestia) *jam e coelis pendentia visa fuisse.* De coelesti hac urbe, incertum tamen quo loco descensura sit, agit quoque Commodianus Instructione 41 de resurrectione prima.

De coelo descendit civitas in anastasi prima.
Est quod referamus de fabrica tanta coelesti.
Resurgemus illi qui fuimus illi devoti,
Et incorrupti erunt, jam tunc sine morte viventes, etc.

Hujusque urbis, aut egregie fallor, in ipsis Sibyllinis libris fit mentio Libr. V. . 423-430. p. 627. Galæi.

Καὶ πόλιν ἣν ἐπόθησε θεὸς, ταύτην ἐποίησε
Φαιδροτέραν ἄςρων τε καὶ ἡλίου ἠδὲ σελήνης.
Καὶ κόσμον κατέθηχ᾽, ἅγιόν τε ναὸν ἐποίησεν,
Ἔνσαρκον, καλόν, περικαλλέα, ἠδὲ ἔπλασε

---

27 Verba Priscæ in veteri codice libri de monogamia, quæ Rigaltius edidit: *Item per sanctam Prophetiden Priscam ita evangelizatur, quod sanctus minister sanctimoniam noverit ministrare. Purificantia enim concordat, ait, et visiones vident, et ponentes faciem deorsum, etiam voces audiunt manifestas, tam salutares quam et occultas.* V. Neandrum p. 245. Oracula vatum Montanistarum collecta sunt a Wernsdorfio D. de Montanistis §. 4. Alia exhibet Didymus Alex. de Trinitate Libro III. cap. penultimo. Plura fortasse latebunt in Oraculis Sibyllinis.

Πολλοῖς ἐν ϛαδίοισι μέγαν καὶ ἀπείρονα πύργον,
Ἀυτῶν ἁπτόμενον νεφέων, καὶ πᾶσιν ὁρατὸν,
Ὥϛε βλέπειν πάντας πιϛοὺς πάντας τε δικαίους
Δόξαν ἀϊδίου θεοῦ, πεποθημένον εἶδος.

Verba ἀυτῶν ἁπτόμενον νεφέων in obscuriori Sibyllistarum loquendi genere potius *ædificium e nubibus pendens*, quam nubes cacumine tangens, indicant, quam verbis ἅπτειν et ἅπτεσθαι significationem quoque inhærere loci paralleli docent[28]. Sibyllistas enim, obscuritatem in vaticiniis sectantes, rariores verborum significationes usurpasse, non est quod miremur.

5. Prophetica quæ dicebantur dona apud Montanistas initio frequentia fuisse videntur. Summis inprimis laudibus extulerunt Montani et mulierçularum quas comites habuit[29] vaticinia. Neque hoc a Catholicorum mente alienum, quod vaticiniis fidem haberent, quum seculo secundo donum prophetiæ in ecclesia haud defecisse crederetur[30]; quæ quidem persuasio auctoritatem vaticiniis Montanistarum apud multos conciliavit[31]; licet prudentiores ea aspernarentur ob mentis excessum, quo prophetæ Montanistæ ubivis abripiebantur. Hoc enim inprimis cordatiores illi contendebant: magnum intercedere discrimen inter prophetas veros atque falsos, sc. Montanistas. Veros enim, spiritu divino actos, quieto et tranquillo animo futura prædicere; Pseudoprophetas vero Montanisticos cum furore et insania oracula sua edere[32]. De hoc argumento Miltiades librum scripsit περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκϛάσει λαλεῖν[33], in quo novum hunc

---

28 Stephani thesaurus linguæ Græcæ, ed. Oxon. Vol. I. p. III. s. v. ἅπτω. Ἀψαμένη βρόχον αἰπὺν ἀφ᾽ ὑψηλοῖο μελάθρου. Odyss. Λ. 277. est κρεμάσασα vel ἐκδήσασα ὕψοθεν, Eustath. Plato in Cratylo: Τὸ δὲ ἅπτειν, καὶ. δεῖν ταὐτόν ἐϛι. Participia passiva ἁπτόμενος et ἡμμένος inveniuntur posita pro *annexum* et quod Cicero vocat *aptum*. Invenitur ἡμμένος, sicut etiam ἐξημμένος, pro *suspensus*, *appensus*.

29 Maximilla, Priscilla aliæque. cf. notam 27.

30 Exempla collegit Wernsdorfius l. l. §. 2. p. 3.

31 Eusebii Hist. Eccles. V. c. 3.

32 Auctor Anonymus adv. Cataphrygas, apud Eusebium Hist. Eccles. V. c. 16. et 17. in Routh Rel. Sacræ II. 82. et ad h. l. p. 100.

33 Epiphanius adv. Hæres. Montanist. c. 20. ὅσα γὰρ οἱ Προφῆται (veri) εἰρήκασι, μετὰ συνέσεως παρακολουθοῦντες ἐφθέγγοντο; et c. 4. et

atque insolitum eorum vaticinandi modum vehementer vituperavit[34], proprio verbo *παρεκστῆναι* et *παρεκστάσεως* ad eum denotandum usus[35].

Unde vero apud Montanistas ortus sit, utrum ex fanatismi excessu, an forte ex imitatione furoris illius, quem Ethnicorum nonnulla sacra comitem habuerunt, nescius sum. Attamen huic suspicioni favere quodammodo videtur locus Didymi Alexandrini, qui Montanum perhibet primum fuisse Idoli sacerdotem[36]; quæ quidem verba, ubi cum testimonio Hieronymi (ep. ad Marcellam 26. al. 41. al. 54.) conferuntur, *semivirum et abscissum* eum vocantis, probabile reddunt, Montanum, antequam ad Christiana transiisset castra, Cybeles, Magnæ Matris, tanta in Phrygia religione cultæ, cujus sacerdotes spadones fuisse constat, sacerdotio functum fuisse. Eum quoque fuisse Neophytum, auctor anonymus libri adversus Cataphrygas asserit[37], eique Apollonius artes magonicas tribuit[38], quæ spadonibus inprimis conveniebant. Ex hisce igitur omnibus, si modo vera sunt quæ narrantur, oritur suspicio, Montanum a priori vaticinandi professione hisce Cybeles sacerdotibus familiari proficuaque ista vaticinia ad suæ sectæ inter Christianos conditæ sacra per summam fraudulentiam transtulisse[39].

---

sequ. Sic quoque Hieronymus Præf. Comment. in Nahum: *non enim loquitur in ἐκστάσει, ut Montanus et Prisca et Maximilla delirant, sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur.* Et ad Fretelam et Suniam: *aliter enim Latinus sermo ἔκστασιν exprimere non potest, nisi mentis excessum.* Plura vide apud Routh, p. 101. *ἔκστασιν διανοίας* habet quoque Origenes c. Celsum de amentia.

34 Apollonius ap. Routh II. p. 75. et 90.

35 *Παρεκστῆναι. falso mentis excessu abripi.* Routh l. c. p. 94. 95. *παρέκστασις.* ibid. p. 100. 101.

36 De Trinitate libr. III. cap. penult. edit. Mingarelli. *Μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος καὶ τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος πλέον ἢ μετὰ ἑκατὸν ἔτη γενόμενος ἱερεὺς πρῶτον εἰδώλου, καὶ οὕτω τὴν τυφλὴν ταύτην εἰσηγησάμενος αἵρησιν.*

37 Libr. I. apud Eusebium Hist. Eccles. V. c. 16. Routh Rel. Sacræ II. p. 75.

38 Apud Eusebium. H. E. V. c. 18. Routh II. p. 59.

39 De sacerdotibus Deæ Comanæ, quæ idem cum Cybele fuisse videtur numen, cf. Juvenalis Satyr. IV. 123. VI. 511. et scholion ad priorem apud Cramerum p. 146. Tibull Eleg. I. VI. v. 43. et Heynium ad h. l. atque Heynii Commentat. de sacerdotio Comano, in Commentat. Goett. Vol. XIII.

6. De hisce autem *ἐκστάσεσι*, quarum quoque testes Montanistæ fuere Carthaginienses, habemus relationem Tertulliani[40], tanto digniorem quæ accuratius examinetur, quanto magis de phænomenis agere videtur, nostræ ætatis medicis haud ignotis. Loquitur enim de *sorore revelationum charismata sortita, quæ in ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur, conversatur cum angelis, aliquando cum Domino, et videt vel audit sacramenta, et quorundam corda dignoscit*[41] *et medicinas desiderantibus subministrat*[42]. Eandem hanc sororem animarum humanarum externam formam descripsisse refert ibidem. Verba enim ejus hæc fuere: *Ostensa mihi est anima corporaliter, et spiritus videbatur. Sed non inanis et vacuæ qualitatis; immo, quæ etiam teneri repromitteret, tenera et lucida, aërei coloris, et forma per omnia humana hæc visio est.*

Hisce autem verbis describi quæ nostrorum quoque sint temporum, quis est qui non videat? Est nimirum *status* ille *insanus*, ut cum Cicerone loquamur, quo ii corripiuntur, qui magneticos tactus experti in *clara visione* versantur[43]. De quo Tertullianus: *Hanc vim ecstasin dicimus, excessum sensus et amentiæ instar*[44]. Hi animas cernunt nimbo aëreo lucidoque cinctas,

---

Vaticiniorum a sacerdotibus Magnæ Matris Pessinuntinæ editorum exemplum affert Plutarchus in Mario c. 17. Confer quoque Apuleji Metamorph. libros VIII et IX, ubi plura reperies.

40 De anima c. 9.

41 Similia habet Irenæus adv. Hæreses V. 6. *Καθὼς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια Θεοῦ ἐκδιηγουμένων.* Nescio tamen, an de Montanistis, quod quidem multis visum est, hac dicta sint.

42 Vaticinia haud commemorat, quæ vero mulieres Montanisticæ compluribus post mortem Maximillæ annis haud amplius edidisse videntur. Auctor enim operis adv. Cataphrygas dicit: *Εἰ ..... αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τοὺς ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ τῶν γυναικῶν τινες παρ᾽ αὐτοῖς διεδέξαντο δειξάτωσαν...... οὐκ ἂν ἔχοιεν δεῖξαι τεσσαραδέκατον ἤδε που τοῦτο ἔτος ἀπὸ τῆς Μαξιμίλλης τελευτῆς.* Routh R. S. II. p. 83.

43 Neander G. d. T. p. 465. Hanc mulierem vir ven. mecum consentiens vocat: *vorgebliche Hellseherin.*

44 De anima c. 45. absolute *amentiam* interpretatur, aitque, spiritalem esse vim,

cum spiritibus confabulantur, ipsum Christum Dominum interdum vident[45], futura præsagiunt, cogitationes eorum, quibuscum sympathetico quodam vinculo nexi sunt, exploratas habent, iisque petentibus haud raro medicinas salutares subministrant. Quod vero, utrum ex morboso eorum statu, nulla adhibita arte, fluat, an tactibus magneticis provocetur, perinde est. Neque asseram, artificialem illum Magnetismum Christianis Carthaginiensibus innotuisse, licet persuasum mihi habeam, hujusmodi artes haud raro in templis, Æsculapii maxime, adhibitas fuisse[46]. Hoc tantummodo e narratione Tertulliani addemus: Montanistas *disserendo petendoque materias visionibus subministrasse, eas vero multitudinem celasse.* Soror enim illa *post transacta solennia, dimissa plebe, quo usu solet nobis,* (clero Montanistico aliisque probatis viris) *renunciavit, quæ videat. Hæc vero diligentissime digerebantur, ut etiam probarentur.* Hactenus ille. Plura sine dubio hac de re disseruit in libris VII de ecstasi, qui injuria temporum perierunt.

Revelationes atque visiones quoque, quæ Perpetuæ in carcere obtigerunt, in actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis commemorantur. Parum igitur aberit a vero, si cum haud ita paucis viris doctis statuamus, hancce matronam una cum sociis addictam fuisse Montanismo[47], unde factum ut tam magnifice a Tertulliano

---

qua constat prophetia ibid. c. 21. et adv. Marcionem IV. c. 22.

45 (Berg) Briefe über eine magnetische Kur. Dorpat 1816. p. 102.

46 Notæ sunt incubationes in templis Aesculapii, Isidis, Serapidis, aliorumque numinum, quas Böttigerus erudite ut assolet tetigit in Commentatione Sprengelii Beiträgen zur Geschichte der Medicin I. inserta sub titulo: Der Aesculapiusdienst auf der Tiberinsel, Medicinische Schlangengaukelei. Cf. quoque Zimmermanns geschichtliche Darstellung d. thierischen Magnetismus als Heilmittel, mit besonderer Berücksichtigung des Somnambulismus, etc. Berlin 1824. Descriptionem Gemmæ votivæ, in qua scalptus cernitur Aesculapius sub draconis dæmonici forma poculum ore porrigens, cum inscriptione EX VISV, inserui Actis historico-philosophicis societatis Danicæ scientiarum, Tomo V.

47 Orthodoxam ejus fidem defendit Jos. Aug. Orsi, Cardinalis, Diss. Apol. pro S. S. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum Martyrum Orthodoxia. Florent. 1728.

laudata sit[48]. Mirari igitur minime subibit, Priscillæ quoque vaticinia et visiones in Africa lectas fuisse.

7. Ceterum notissimæ sunt Montanistarum res ex Wernsdorfii Walchiique lucubrationibus: manum igitur abstinemus, de duabus tantummodo περιςάσεσι pauca monituri.

1) Montanistas Afros, quo modo Asiatici, habuisse stipem communem, in quam suas immittebant oblationes, cui administrando præpositus erat ἐπίτροπος, Latinis *Arcarius*[49]. Idem hoc sine dubio Carthagine quoque obtinuit; inprimis si verba Tertulliani Apologetici c. 39. de *depositis pietatis in arcæ genus immissis,* intelligenda sunt non de Catholicis unice, sed de Montanistis quoque. Hoc nimirum illo tempore, quo Christiani diuturna pace per totum Imperium Romanum fruebantur, sensim sensimque sibi sumsisse videntur ecclesiarum antistites, ut instituta collegiorum atque societatum in Imperio licitarum, ubi e re esse visum fuerit, imitarentur. E quorum genere arcæ quoque fuisse videntur. Has enim nonnulla collegia Romana habuisse docet Cramerus[50]; neque desunt in marmoribus exempla Arcariorum publicorum, οἰκονόμοι apud scriptores et in monumentis dictorum. Sic οἰκονόμος τῆς πόλεως Rom. XVI. 23.

2) Doctores religionis, qui apud Montanistas iidem fuere ac apud Catholicos[51], stipendia accepisse e reditibus vel e stipe publica, testatur Eusebius Hist. Eccles. IX. 5. 18. ex Apollonii libro adv. Montanistas. Quam quidem consuetudinem, illa ætate raram atque ab Apollonio acriter carptam, imitati sunt procedente tempore Theodoti Byzantini asseclæ[52].

---

48 Plures in Actis Martyrum narrantur visiones, quæ Christianis in carcerem conjectis obtigerunt. Cf. passionem Jacobi, Mariani et alior. plurimor. in Numidia apud Ruinartum p. 228. 229. Montani, Lucii et alior. Martyrum Africanorum ibid. 234. 235. qui fortasse ex coetu Montanistarum fuere.

49 PARTHENIO ARCARIO REIPVBLICAE LVCANORVM QVINTANENSIVM. Fabretti Inscr. domesticæ p. 549. n. 388. SECVNDVS ARKYARIVS REIP. ARMEFINORVM. apud Gruterum.

50 Commentarii vetusti in Juvenalem p. 381.

51 Neanders G. d. T. p. 203.

52 Vide apud Routh II. 57.

8. Tertullianum sectæ inter Montanistas conditorem fuisse supra diximus. Testem habemus Augustinum, qui libro de Hæresibus de Tertulliano: *divisisse se a Montanistis, sed tamen sua conventicula propagasse scribit*[53]. Idem auctor de ejus asseclis sic habet: *Tertullianistæ a Tertulliano ..... usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginiensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos ..... omni ex parte consumti sunt. Paucissimi enim, qui remanserunt, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicis tradiderunt.* Refert porro errores Tertulliani de corporea animæ ipsiusque Dei natura, additque: *Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus, sed quia transiens ad Cataphrygas, quos antea destruxerat, coepit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, et postmodum etiam ab ipsis divisus sua conventicula propagavit.* Hosce vero Tertullianistas a Sotere Papa damnatos legimus in anonymo tractatu, a Sirmondo edito, cui titulam inscripsit: *Prædestinatus*[54]. Narrat hic auctor præterea, Octavianam quandam secum duxisse hominem, qui se dixerit Presbyterum Tertullianistam: hunc a Maximo Tyranno fautore suo scriptum impetrasse, ut sibi collegium extra Urbis muros fabricaret et duorum fratrum, Processi et Martiniani, quos Phryges, h. e. Montanistas fuisse dixit, sepulcra

---

[53] Ad Quodvultdeum Hæres. 86. Video equidem Neandrum subdubitare, an Tertullianus media quadam via inter Catholicos et Montanistas incedere potuerit, atque secessionem illam, de qua agitur, coetui illi, cui præfuit Tertullianus, post ejus tempora tribuere p. 509. Sed obstare videtur auctoritas Augustini, in rebus ecclesiæ Africanæ haud exigui momenti, qui expressis verbis ipsum Tertullianum *se a Montanistis divisisse* narrat. Habemus præterea haud ita pauca sectarum fanaticarum exempla in varios a se invicem discrepantes coetus divisarum, ut Anabaptistarum, Quakerorum, aliorumque.

[54] Editus a Sirmondo Parisiis 1643. et 1645. ab Avræo, et in Operibus Sirmondi Venet. 1728. fol.) Tom. I. p. 293. Hæres. 86. Parum vero fidei huic auctori tribuit Routh Rel. Sacræ II. 378., qui, de scriptoribus eum crepare dicit, quos nemo unquam ante audiverat. Ejus ambiguam fidem notat quoque III. 278.

sibi vindicasse[55], *atque hoc ordine* per occasionem Martyrum populum seduxisse, donec, Maximo a Theodosio deleto, fuga salutem quæreret, et locus ille sacer Catholicis restitueretur. Idem hic auctor loquitur de basilica Tertullianistarum Carthaginiensi, *quæ usque ad Aurelium Episcopum fuit. Agente enim Augustino Hipponensi Episcopo, et rationaliter cum eis disputante, conversi sunt, Ecclesiamque suam sanctæ Ecclesiæ contulerunt.* Addit: *Tertullianum a Cataphrygibus postea divisum, ne plebi Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fudisse a se omnem Phrygiam vanitatem, et Tertullianistarum conventicula propagasse*; *nihil tamen in fide* (Montanistarum) *mutasse.* Ex hisce testimoniis colligitur, Tertullianum, oborta cum Montanistis ignota de causa[56] discordia, ab eorum coetu discessisse, propriumque condidisse, nihil tamen in dogmate mutasse. Ditiores vero atque opulentiores procedente tempore ejus familiæ adhæsisse, ex eo probabile fit, quod eorum basilica, magnum itaque ædificium, commemoratur. Romæ quoque ejus asseclæ domicilia figere, Maximo Tyranno (a. Chr. 383-388.) eis favente, tentarunt, sed post eum deletum conatus eorum in vanas abierunt auras; pauci vero illi, qui Carthagine consistebant, ab Augustino, quum Aurelio Episcopo, qui a. 390. hanc cathedram conscenderat, illam metropolin visitaret, amico colloquio ad saniorem mentem reducti, Catholicis suam Basilicam tradiderunt[57]. Quæ vero

---

55 Sic enim intelligo verba: *Quod dum impetrasset a tyranno Maximo, sanctorum nostrorum exclusit locum, id est, duorum fratrum, Processi et Martiniani, dicens eos Phryges* (Montanistas) *fuisse, et ideo hanc legem tenuisse quam Tertullianus.*

56 Annon forte ob relaxatum disciplinæ rigorem? lego enim in fragmentis Apollonii penes Eusebium V. 18. *Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται; προφήτης ςιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει ..... ἐγὼ δὲ ὅτι γέγονε παρ᾽ αὐτοῖς δείξω.* Cf. Routh R. S. II. p. 59. et 67. alii habent *ἡ προφῆτις.* Hujusmodi enim abusus forte Carthagine apud Montanistas irrepserant. Et nostra ætate Quakeros et Anabaptistas a prisco rigore remisisse, notum est. Ceterum Apollonium in Montanistas hoc loco iniquiorem fuisse, dubio vix caret.

57 Ex Morcelli sententia ante annum 428. quo hæc ad Quodvultdeum scripsit. Afr. Christ. II. p. 93.

Prædestinatus habet de Tertullianistis a Sotere Papa damnatis, aperte sunt falsa, quum hic Romanam Ecclesiam rexerit inter annos 160 et 170[58], Tertulliano adolescente et adhuc a Christianis sacris alieno. Num vero inter libros Montanisticos ab eo vulgatos extent scripta edita, postquam a reliquis Montanistis secessisset, ardua est quæstio, neque facile de ea decerni potest, licet per se haud sit improbabile; nisi statuamus, eum suum coetum post annum 211 condidisse, in quem ultimus liber, cujus ætas definiri potest, is nimirum quem ad Scapulam dedit, cadere videtur. Hoc vero manifestum est, Tertullianum inter Montanistas Afros virum fuisse summæ auctoritatis.

9. Montanismus in Africa floruit per duo, et quod excurrebat, secula. Sensim vero, postquam fortassis ii, qui turbulentioris essent ingenii, cum Novatianis fecissent, sedato in reliquis fervore, quæ est omnis enthusiasmi ratio, evanuit; quam quidem sanæ mentis victoriam Donatistarum furores et Circumcellionum facinora, omnibus piis cordatioribusque hominibus exosa, tandem adduxisse videntur. Plurimos tamen jam ante hæc tempora paci et tranquillitati studuisse, proprios lares coluisse, nec in negotia ecclesiæ Catholicæ sese ingessisse, fidem facit silentium, Cypriani, qui, quamvis Tertullianum magnopere suspiceret magistrumque vocaret, auctoritatem tamen episcoporum acerrime propugnavit[59], neque facile passurus fuisset, si qui eandem Carthagine infringere sustinuissent. Unde colligo, Montanistas proxima post Tertullianum ætate nullis querelis ansam præbuisse, sed in coetu Carthaginiensi vixisse ut inter nos fratres qui Moravici dicuntur; et licet haud prorsus ab Ecclesia Catholica secesserint, sacra tamen domestica et minus solennia habuisse. Semel tantum schismatis mentionem invenio, quæ forsitan Montanistas respicit. Inter

58 Pagi Breviar. Pontiff. Romanorum I. p. 30.

59 Tertullianum post secessionem ad Montanistas haud ita magni fecisse episcopos, statuit Episcopus Lincoln. p. 241. Nec injuria. Nam spirituale illud sacerdotium, cujus ex ejus sententia omnes Christiani participes erant, ut apud omnes enthusiastas, ita quoque apud Montanistas, dignitati sacerdotii ecclesiastici haud parum detraxit, vel detrahere saltem potuit. Accesserunt fortasse querelæ de episcopis Afris, quos sæpius vituperat, ut passim notavimus.

Patres nimirum concilii Carthaginiensis a Cypriano anno 256 celebrati occurrit Verulus Martyr, Russicadæ Numidiæ episcopus, cujus nomini adduntur verba: *de schismaticis.* Sed hic ad Novatianos quoque pertinuisse potest, quorum controversia quinquennio ante istud Concilium agitari coepit. Ceterum Montanistarum in nullo, quod sciam, Concilio Africano fit mentio. Neque de iis agere videntur quæ Commodianus habet Instruct. 66.

.... Pax est in orbe,
Et ruina simul blandiente seculo premit
Præcipitis populi quem in schisma misistis.
Aut facite legem civitatis, aut exite de illa!

Quæ potius de Novatianis dicta videntur turbas cientibus; minus enim cadunt in Montanistas novarum rerum minime cupidos.

Hi denique per secundum et tertium seculum in Africa floruere, quarto vero extincti sunt.

CAP. XXIII.

CONTROVERSIA DE BAPTISMO HÆRETICORUM, ET CONCILIUM CARTHAGINIENSE SUB AGRIPPINO.

1. Hujus controversiæ fons et origo haud dubie quærenda est in magno hæreticorum numero, qui studio et labore episcoporum clericorumque Afrorum ad fidem ecclesiæ amplectendam commoti fuere. Variæ de modo quo in gremium ecclesiæ recipiendi essent opiniones controversiam excitarunt: sed quanto major auctoritas ecclesiæ tribuebatur, quam *unam* esse, extra quam nulla speranda sit salus, quæ sola vera habeat sacramenta, docuerunt, præcedentibus Tertulliano et Cypriano[1], Ecclesiæ Africanæ magistris, tanto rigidiores sententias

1 Tertull. de præsc. c. 14. 20. 37. de baptismo c. 6. 8. de pudicitia c. 21. 40. Cyprianus de unitate Ecclesiæ. Cf. Hist. nostram Dogm. priscæ ecclesiæ, edit. Theot. Tom. III. p. 29. A Judæis hæc placita ad Christianos transierunt.

Afri fovebant de ipso hæreticorum Christianismo[2]; inprimis quum illi, de quorum baptismo agebatur, maximam partem essent Gnostici, qui summo Deo creationem mundi haud tribuebant, de necessitate ipsius baptismi varias alebant opiniones, inque eo administrando varios sequebantur ritus[3]. De Montanistis vix esse potuit quæstio, qui in dogmatibus sacrisque ritibus servandis a Catholicis haud secesserunt, ipsumque Tertullianum habuerunt defensorem. Quæ autem fuerit Tertulliani de baptismo hæreticorum sententia, ipse pluribus in locis declaravit, e quibus duo adferre haud pigebit. De pudic. c. 19. *Cui enim dubium est, hæreticum institutione deceptum, cognito postmodum casu et poenitentia expiato, et veniam consequi et in ecclesiam redigi? Unde et apud nos ut ethnico par, immo et super ethnicum, hæreticus etiam per baptisma veritatis utroque nomine purgatus admittitur.* Sic quoque c. 15. libri de baptismo adv. Quintillam docet: *Unus omnino baptismus est nobis tam ex Domini Evangelio quam ex Apostoli litteris, quoniam unus Dominus et unus baptismus et una ecclesia in coelis ..... Hæretici autem nullum consortium habent nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademtio disciplinæ ...... Ideoque nec baptismus unus, quia non idem. Quam quum rite non habeant, sine dubio non habent, nec capit numerari quod non habetur: ita nec possunt accipere, quia non habent*[4]. Baptismus igitur hæreticorum quum nullus esset, ii qui ad ecclesiam transibant, ex doctrina Ecclesiæ Africanæ non *rebaptizabantur* sed *baptizabantur*, quæ

---

2 Tertull. de baptismo c. 15. *Cum baptisma rite non habeant, omnino non habent.* v. c. et illud: *qui Deum haud habet patrem, nec ecclesiam habet matrem.* Neque alia Ecclesiæ Orientalis fuisse videtur statuendi ratio. Habemus enim in Canonibus, qui Apotolici dicuntur, canonem 46. episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum aut sacrificium admiserit, deponi jubentem. can. 47 quo cautum est, ut episcopus vel presbyter, qui ab impiis pollutum h. e. ab hæreticis tinctum, non baptizaverit, deponatur; et can. 68. quo dicitur, *qui ab hæreticis baptizantur aut ordinantur, ut fideles vel clerici sint, fieri non posse.*

3 Kirchliche Alterthümer der Gnostiker p. 86. sequ.

4 Sic quoque de pudic. c. 40. de præsc. hæret. c. 14. (et in append. c. 37.).

quoque in lite cum Stephano Romano Episcopo, (mitiorem sententiam amplexo, eos nimirum, qui in nomine Jesu Christi tincti essent, haud esse iterum baptizandos [5]), Cypriani fuit sententia; provocavit enim ad doctrinam a majoribus transmissam acceptamque ab Agrippino. Hæc autem consensit cum iis, quæ Tertullianus libro de pudicitia c. 19. exposuerat, epist. 77. ad Quintum p. 193. [6], et 72. ad Stephanum Romanum Episcopum p. 196.

2. Sententia hac de re longo ante litem Stephani et Cypriani tempore in ecclesia Africana lata fuit a Concilio Carthaginiensi, eoque primo cujus ad nos notitia pervenit, ab Agrippino celebrato; quo episcopo Augustinus scribit [7], *antiquam disciplinam ex Apostolica traditione venientem corrumpi coepisse.* Idem hoc statuit Vincentius Lerinensis. Hic enim sic habet: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginiensis Episcopus primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat* [8]. In dubium quidem vocata est quæstio, an Afri primi fuerint qui baptismum iterarent; nam Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus ad Cyprianum de synodo Iconiensi circa an. 235. habita scribit: *hæretico enim, sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare ..... Quod totum nos jam pridem in Iconio .... collecti in unum, convenientibus ex Galatia et Cilicia et ceteris proxime regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter et vindicandum, quum a quibusdam de ista re dubitaretur* [9]. Additque præterea in eadem epistola: *nec meminimus hoc apud nos aliquando coepisse, quum*

5 Constantii Dissertat. de Stephani I. Papæ sententia circa receptionem hæreticorum, in Epistolis Roman. Pontiff. p. 227-256.

6 Acta inter S. Cyprianum et Stephanum in disceptatione de hæreticis baptizandis. ed. Frid. Everh. Boysen. p. 61. vide quoque Georg. Theophili Preu Dissertationem, qua Cypriani ac Firmiliani Epistolarum adversus Stephani I. Papæ Decretum de hæreticorum Baptismo vindicias oppositas Raymundo Missorio defendit, Præside J. G. Walchio, Jenæ 1738.

7 De baptismo II. c. 7.

8 Commonitorii cap. 9. ed. Klüpfelianæ p. 114.

9 In Epistolis Cyprianicis 75. p. 221.

semper illic observatum sit, ut non nisi unum Deum nossemus, et sanctum baptisma non nisi ecclesiæ computaremus[10]. Itaque, quum Tertullianus, qui ante Concilium Iconiense floruit, eandem hanc sententiam acriter defenderit, haud plane a veri specie abhorret, eum eandem vel primum docuisse, vel recens propositam sua auctoritate firmasse. Si vero qui statuere malint, eam eodem tempore in Africa atque Asia ortam esse, equidem haud refragabor. Certe per magnam ecclesiæ partem valuit. Ipsi enim Canones Apostolorum 46. 47., ut nota 2 monuimus, hæreticos rebaptizare jubent. Hosce vero Cypriano et Stephano R. E. esse antiquiores, valde est probabile: magnum autem errorem erravit Eusebius, *Cyprianum primum omnium censuisse, nonnisi per baptismum prius emundatos admittendos esse*[11]; quum et ipse Cyprianus morem hæreticos rebaptizandi ab Agrippino accepisse fateatur[12].

3. In hoc Carthaginiensi Concilio ex Africa Proconsulari et Numidia convenere septuaginta Episcopi[13]. Ejus quidem omnia acta, una cum libro, quem Agrippinus adversus eos scripsit, qui hæreticorum iteratum baptismum rejecerunt[14], dudum interierunt. Commemoratur vero sæpius, inprimis a Cypriano, ep. 71. ubi de baptismo hæreticorum: *Quandoquidem et Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum ceteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia ecclesiam Dei gubernabant, statuit, et librato consilii communis examine firmavit, quorum sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et Ecclesiæ Catholicæ congruentem, nos etiam secuti*

---

10 Pag. 226.

11 Hist. Eccles. VII. c. 3.

12 Ad Jubajan. ep. 73. et ad Quintum ep. 71.

13 Augustin. de baptismo II. c. 13.

14 Hoc colligi posse videtur ex epistola Augustini 48. (al. 93.) c. 10. ad Vincentium Rogatistam: *Noli ergo, frater, contra divina, tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis: sive nostrorum, sicut Hilarii, sive antequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis; sicut Cypriani et Agrippini.* Contradictiones autem in Africa perdurasse ad Cypriani usque tempora, colligere est ex ejus epistola 71. ad Quintum, in qua de *præsumtione quorundam de collegis nostris* (Cypriani et Quinti) loquitur, *ut pateat, eos, qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere.* etc.

sumus. Similiter ep. 70. ad Numidiæ Episcopos p. 189. *sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris statutam et a nobis observatam, vobis cum pari consensione conjungimus, censentes scilicet et pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra ecclesiam posse, quum sit baptisma unum in sancta ecclesia constitutum*[15]. Et tandem epistola 73. ad Jubaianum p. 199. *Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt et longa ætas, ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversi non aspernati sint neque cunctati, imo et rationabiliter et libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis et salutaris baptismi gratiam consequerentur*[16]. De anno, quo hoc Concilium habebatur, incertæ sunt sententiæ; nam haud plane constat, quo tempore Agrippinus vixerit, et quot Episcopi Carthaginienses inter eum et Cyprianum interfuerint. At Tertulliani eum fuisse coævum, extra dubitationis aleam est positum; sunt qui Concilium exeunte sec. II. celebratum statuant[17], sunt qui ad ann. 215. v. 217. reponant[18]. Quæ vero utcunque sint, probabile est, primum fuisse in Africa, et tempore quidem quo Mauretania

---

15 Ad idem hoc decretum provocat Novatus a Thamuzade in synodo Carthagin. anno 256 a Cypriano habita ...... *et ideo secundum testimonium scripturarum et secundum decretum collegarum nostrorum, sanctissimæ memoriæ virorum, omnes schismaticos et hæreticos, qui ad ecclesiam conversi sunt, baptizari, sed et eos, qui baptizati videbantur, inter laicos recipi.* Vide Routh III. p. 93.

16 Hujus Concilii præter locos allegatos meminerunt Augustinus de baptismo III. 2.; et Facundus Hermianensis Defens. trium Capitulor. X. 3. p. 427. Sirmond. *Ecclesia, non approbans beati Cypriani, ejusque prædecessoris Agrippini, qui hoc ante statuerat, de baptizandis omnibus hæreticis definitionem, non solum ipsos, sed et omnes, qui cum illis hoc definierunt, episcopos patres adscribit, eorumque fidem atque doctrinam, et maxime Cypriani toto orbe radiantem, judicat esse laudabilem.*

17 Morcellus ante an. 197 ponit, Victore Episcopo Romano.

18 Walchii Historie der Kirchenversammlungen p. 91.

nondum haberet ecclesias, quum nonnisi Africæ Proconsularis et Numidiæ intervenerint Episcopi. Illa quidem ætate concilia in Asia minori Græciaque recenter erant instituta, quibus episcopi imitati sunt urbium et provinciarum eos conventus, qui *KOINA* vocabantur, et in numis horum temporum sæpe commemorati leguntur [19]. De synodis enim, ut de novis institutis, Tertullianus, qui alicui in Græcia interfuerat, easque oratione apologetica defenderat, loquitur [20]. Primam autem occasionem eas congregandi præbuit controversia Montanistica; brevi post accessit quæstio de tempore Paschatis celebrandi; et post Græcos Afri fuerunt primi qui in synodis convenirent. Ceterum, quum haud certe constet, quo tempore Tertullianus librum de jejunio scripserit, ex silentio ejus de Concilio Agrippini minime colligere licet, utrum ante an post illius tempora editus fuerit. Ex hoc tamen libro patet, Septimium jam ad Montanistas transiisse, eumque concilia, quorum prima, Hierapoli anno 170. v. 173. et eodem circiter tempore Anchiali habita, Montanismo haud favebant [21], habuisse pro institutis mere humanis ab episcopis arbitrarie eoque consilio conditis, ut laicis legem ferrent [22]. Inde quoque sequitur, Tertullianum non de Montanistarum sed de Catholicorum conciliis verba facere; etsi illorum coetus eo jam tempore in Græcis numerosi adeo fuerint, ut concilia habere potuerint [23]. Quodsi igitur ille de jejunio liber post Agrippini Concilium editus fuisset, vix

---

19 Ab Amphictyonum in deSenatu frequentes sunt Græcorum conventus, quos et marmora, et inprimis numi, loquuntur, in quibus *KOINON ACIAC*, *KOINON BEIΘYNIAC*, *K. KYΠPOY*, *K. KPHTΩN*, *K. ΠANIONION*, *K. EΓ. ΠOΛEΩN* et s. p. vide Eckhelii Doctrinam Numor. Veterum IV. p. 428. sequ.

20 De jejunio c. 13. Spittleri Geschichte des kanon. Rechts p. 38. et Moshemii Comment. de rebus Christianorum ante Constant. M. p. 264. sequ. Neanders G. d. T. 289. 290.

21 Walchs Historie der Kirchenversammlungen p. 83. 84.

22 Zieglers kritisch-pragmatische Darstellung des Ursprungs der Kirchensynoden, in Henkes Magazin. VII. p. 135.

23 Hæc nimirum de primis Græcorum conciliis fuit sententia Valesii: Montanistæ certe illa ætate in Africa adeo numerosi haud fuerunt, ut Concilia celebrare potuerint.

est dubium quin mentionem ejus fecisset, quum suam de baptismo hæreticorum sententiam ejus decretis firmatam nosset. Sub Agrippino habitum dicit Cyprianus epistola 73. sæpius laudata. Primatem igitur suo jure egit, *quum Carthago esset in Africano orbe quasi altera Roma*, ut habet Salvianus [24]. Huic autem Concilio non episcopos tantum, sed et presbyteros et diaconos, quin etiam laicos interfuisse, ut priscæ ecclesiæ consuetudo tulit [25], etsi desint expressa testimonia, valde est probabile. Solis tamen episcopis suffragiorum jus competiisse videtur; quod quidem ex Concilio Cypriani, cujus acta supersunt, apud Afros usitatum fuisse apparet [26]. Et quum Cypriani ætate *concilia ordinaria* quotannis haberentur post Pascha [27], quæri posset, num hocce institutum ante eum jam coeperit, an forsitan a Concilio Agrippini inchoaverit; qua tamen de re subdubito.

Ceterum quæstio solum versabatur circa hæreticos, qui, antequam ad hasce sectas accessissent, Judaica aut Ethnica sacra fuerant secuti. Nam Christiani Catholici, qui ad hæreticos defecerant, jam vero redeundi veniam humillimis supplicationibus appetebant, æque ac Apostatæ, ad cultum Idolorum relapsi, ex constanti ecclesiæ consuetudine, non iterato baptismo, sed poenitentia atque manuum impositione cum eadem reconciliabantur [28].

---

24 Salvianus de gubernat. Dei VII. c. 16. p. 170. Baluz.

25 Walch Hist. der Kirchenversammlungen p. 120. Sic quoque in Concilio Cypriani et Eliberitano. Vide Routh Rel. Sacræ II. p. 500.

26 Routh Rel. Sacræ III. p. 151.

27 Boysen l. c. p. 23. qui Pearsonum in Annal. Cyprianicis laudat.

28 Binghami Origines IV. p. 405. Repetita deinceps fuit quæstio de baptismo hæreticorum in Concilio Carthaginiensi V. an. Christi 255 sub Cypriano habito. Routh III. p. 84-107. et 135. sequ. In Arelatensi anno 314. celebrato extat can. 8. *de Afris, quod propria sua lege utantur, ut rebaptizent, placuit, ut ad ecclesiam si aliquis hæreticus venerit, interrogent eum symbolum; et si perviderint, eum in Patre, Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur. Quodsi, interrogatus Symbolum, non responderit Trinitatem hanc, merito baptizetur.* Routh IV. p. 88.

CAP. XXIV.

ALIA CONCILIA AFRICANA AD CYPRIANUM USQUE.

1. De reliquis conciliis in Africana Ecclesia tempore inter Agrippinum et Cyprianum elapso habitis pauca tantum eaque valde fragmentaria testimonia inveniuntur. Plura tamen fuisse, valde est probabile ex magna ecclesiarum concordia Cypriani ætate, quæ ex epistolis ejus apparet: unde multos habitos conventus, totamque hierarchiam ecclesiasticam bene ordinatam fuisse constat. Præterea in ordinationibus novorum Episcoporum Carthaginiensium, etsi non omnes, multos tamen ejusdem provinciæ episcopos convenisse, aliosque tum episcopos tum presbyteros variorum negotiorum causa Carthaginem sæpe adiisse, non est de quo dubitemus: in quibus autem conventibus, plus minusve frequentatis, haud raro de rebus quoque ecclesiasticis actum fuit.

2. Concilia Africana haud dubie eandem habuerunt formam, quam Græca illa, ad quorum imitationem instituta fuere. Episcopi igitur antequam in concilio deliberarent, jejuniis atque precibus a Deo lucem poscebant. *Conventus,* inquit Tertullianus, *illi, stationibus prius et jejunationibus operati, dolere cum dolentibus et ita demum congaudere gaudentibus norunt* [1]. In iis ille qui præsidebat, si Carthagine vel in Africa Proconsulari celebrabantur, hujus Metropoleos Episcopus, si in Numidia aut Mauretania, Primas Provinciæ, Senex secundum ætatem ordinationis, synodum brevi alloquio aperuit, epistolasque recitari jussit ad negotium, de quo agendum esset, pertinentes. Sententias tum suas dixere episcopi, qui ecclesiarum suarum nomine convenerant. Hi autem, si ex actis concilii Carthaginiensis sub Cypriano habiti aliquid in universum colligere licet, promiscue, nullo neque provinciarum neque senii ordine servato, sedebant, suffragiumque dabant. Dixit enim Pudentianus a Cuiculi qui 71mus erat: *novitas episcopatus fecit, ut sustinerem quid majores judicarent* [2]; et post eum 13 alii locuti sunt. Absentibus quoque licitum erat per alios suffragia sua ferre. Sic Natalis ab Oea in eodem concilio, nomine Pompeii Sabratensis

---

[1] De jejuniis c. 13.

[2] Cypriani Opera p. 242. 241.

et Diogæ Leptimagnensis in Tripolitana, *qui ipsi mandaverunt corpore quidem absentes sed spiritu præsentes,* vota emisit[3]; et propter inopiam Tripolitanæ provinciæ et exiguum episcoporum numerum hoc in consuetudinem abiit, ut unus tantum episcopus concilio interesset, suaque ac collegarum vota emitteret[4].

3. Procedente tempore invaluit consuetudo, ut Carthagine in quavis synodo generali omnes synodorum ab eodem episcopo celebratarum canones repeterentur, actisque insererentur; id quod in actis synodi anno 418 habitæ observatum legimus[5]: quem vero morem haud adeo fuisse recentem suspicor, quum antiquiore ætate frequentior canonum repetitio magis videatur fuisse necessaria, quam postea, ubi canonum congestæ jam essent collectiones, ut Fulgentii Ferrandi[6], atque Cresconii[7]; Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ ut taceamus, qui decreta continet Synodi Carthaginiensis anno 419 celebratæ[8]. Antiquior vero haud dubie illa erat consuetudo, ut episcopis clericisque, qui ordinabantur, prius, hoc est ante ordinationem, decreta conciliorum prælegerentur; quæ quidem consuetudo in Codice Ecclesiæ Africanæ sancita legitur[9]. In hisce igitur canonum collectionibus decreta haberi antiquiorum et vel antiquissimorum Conciliorum Africanorum, vix poterit in dubium vocari, si modo a recentioribus

---

3 Cypriani Opera p. 242. 241.

4 Sic in Cod. Canonum Ecclesiæ Africanæ, can. 14. lata invenitur lex a Concilio Carthag. 3. cap. 2. apud Labbeum Concil. Tomo II. 1056. *Item placuit, de Tripoli, propter inopiam provinciæ, ut unus episcopus in legationem veniat.* Sic quoque in Concil. Milevitano *electus* præter alios de provincia Carthaginiensi ceterisque legitur *de provincia Tripolitana Plautius, qui ex more legatus unus est missus, qui omnes cum sancto sene Aurelio universa cognoscant.* Ibid. p. 1132.

5 Spittlers Geschichte des kanon. Rechts p. 75.

6 Spittler l. c. p. 196.

7 Henkii Comment. de Cresconii Concord. Canonum ejusque cod. manuscripto in Opusc. Academ. p. 167. Spittler l. c. p. 164.

8 Spittler l. c. p. 139.

9 Canon. 18. *Item placuit, ut, ordinatis episcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse poeniteat.* Conc. Carthag. III. c. 3. ap. Labbeum Concilior. II. p. 1057.

discerni possent! Antiquiores enim canones a Carthaginiensi illo concilio repetitos fuisse, et Cresconium æque ac Ferrandum veteres canonum ἀκολουθίας ad manus habuisse, statuere ausim. Ex hisce canonibus nonnulli, ad antiquissima tempora, quantum conjicere licet, referendi, heic apponentur. Judicent rerum atque temporum periti!

Canon. 6. *In præteritis conciliis statutum meminimus esse, ut Chrisma vel reconciliatio poenitentium, nec non et puellarum consecratio a presbyteris non fiant.*

Concil. Carthaginiense III. can. 3. Labbei Concil. Tom. II. p. 1052.

Canon. 16. *Item placuit, ut episcopi, presbyteri et diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio et inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: nullus militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Ibid. can. 15. Labbei Conc. p. 1057.

Canon. 21. *Iterum placuit, ut filii clericorum gentilibus vel hæreticis matrimonio non jungantur.*

Ibid. can. 12. Labbei Conc. p. 1060.

Canon. 36. *Ut episcopi et presbyteri et diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos catholicos fecerint.*

Ibid. can. 18. Concilia Africana can. 3. Labbei Conc. p. 1068.

Canon. 37. *Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est: panis et vinum aqua mixtum.*

Concilia Africana can. 4. ibid. p. 1068.

Canon. 44. *Ut virgines sacræ, cum parentibus, a quibus custodiebantur, privatæ fuerint, episcopi vel presbyteri, ubi episcopus absens est, providentia gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagando ecclesiæ lædant existimationem.*

Concilia Africana can. 11. ibid. p. 1069.

Canon. 45. *Ut ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur. Ut scenicis atque histrionibus cæterisque hujusmodi personis reconciliatio non negetur.*

Concilia Africana can. 12. Labbei Conc. p. 1072.

Canon. 49. *Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad episcopum ordinandum, propterea quia in Tripoli forte et in Arzuge interjacere videntur barbaræ gentes; nam in Tripoli, ut asseritur, episcopi sunt quinque tantummodo, et possunt forte de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari.*

Concilia Africana can. 16. ibid. p. 1073.

Canon. 51. *Quoniam de commonitorio nostro omnia tractata noscuntur, addimus etiam, de die paschæ nobis esse mandatum, ut de ecclesia semper Carthaginiensi, sicuti assolet, instruamur, et non sub angusto temporis spatio.*

Concilia Africana can. 18. ibid. p. 1073.

Præter hos duos habet canones Morcellus Afr. Christ. II. p. 90. et 89., quos antiquiores leges respicere statuit.

Canon. 37. *Primitiæ vero, seu mel et lac, et quod uno die solemnissimo in infantum mysterio* (baptismo) *solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem:* qui nimirum ritus a ritu Romano discrepat.

Canones diversorum Concil. eccles. Africanæ can. 37. ibid. p. 1068.

Canon. 103. *Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes sive commendationes seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem præferantur, sed quæcunque a prudentioribus fuerint collectæ dicantur.*

Iidem can. 3. Labbei p. 117.

4. Ultimus in Synodo sententiam dixit Præses, ut Cyprianus in Carthaginiensi. Decretum autem in hac synodo, anno 252 coacta, his verbis expressum legitur: *Placuit nobis, Spiritu Sancto suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente.* Mutata ergo intervallo temporis inter Tertullianum et Cyprianum elapsi fuit sententia de conciliis, ita ut ea, quæ initio pro mere humanis haberentur institutis, divinam mox nacta sint auctoritatem. Neque a Cypriani inde ætate aliis quam episcopis, et forte presbyteris [10], nulli vero diacono, nullique certe laico sententiam dicendi venia concedebatur.

5. Concilia ante Cyprianum post Agrippini illud in Africa celebrata sunt sequentia:

1) Concilium de quo loquitur Carthaginiensis hic Antistes epistola 1: *Jam pridem in concilio episcoporum statutum, ne quis de clericis et ministris Dei tutorem vel curatorem testamento suo constituat* [11]. Et infra: *Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac, si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Quo quidem decreto contra leges Romanas actum fuit, in quibus tutela pupillorum pro munere publico habebatur, a quo onere non nisi ex certis iisque gravissimis causis lege definitis excusatio concedebatur [12]. Attamen repetita fuit lex ecclesiastica a Cypriano, quum Geminius quidam Victor Geminium Faustum presbyterum, haud dubie fratrem aut gentilem, in civitate Furnitana Africæ proconsularis tutorem testamento suo nominasset. Hujus quoque concilii mentionem facit Augustinus de bapt. IV. 6. Quo loco et quo tempore habitum fuerit, haud constat. Quum vero Cyprianus loquatur *de episcopis decessoribus*, in Africa proconsulari, et

10 De Concilio a Cypriano in quæstione de baptismo hæreticorum habito ad Quintum ep. 71. sic scribit: *qua de re quid nuper in concilio plurimi coëpiscopi cum compresbyteris, qui aderant, censuerimus, ut scires: ejusdem epistolæ exemplum tibi misi.*

11 Vide CAP. XII.

12 Institution. L. I. Tit. 25.

Carthagine quidem celebratum putem, licet bene sciam, episcopos illos, quos decessores vocat, haud omnes esse potuisse Carthaginienses: intelligit potius omnes illos episcopos Africanæ ecclesiæ, qui illi interfuerunt concilio. Tempus haud significat nisi per vagum illud *jam pridem*, quod tamen multos elapsos annos indicat; quare cum Schelstratio, hoc concilium Donato desessori Cypriani in sede Carthaginiensi attribuente, consentire nequeo.

2. An Tertullianus in concilio damnatus sit, incerta res, de qua jam egimus CAP. XXII. Vix autem inducar ut mihi persuadeam, eum quoque, ut Morcellus arbitratur[13], alia de causa damnatum fuisse, quod nimirum statuerat: *nihil ad delicta fidelium capitalia solvendi et alligandi Petro emancipatum esse*. (de pudic. c. 21.). Suam assertionem Septimius sequentibus adstruit verbis: *Ecclesia quidem delicta donabit, sed ecclesia spiritus per spiritalem hominem, non ecclesia numerus episcoporum* (ibid.). E quibus tamen verbis nil de Tertulliano ab ecclesia Africana damnato colligi posse videtur. Idem Morcellus concilia sub Donato Episcopo Carthaginiensi habita esse statuit: quum Ecclesia Africana floreret omni genere virtutis, nec episcopi periculi causa carere publico cogerentur. Nam controversias sæpe existere necesse fuit, quæ ex communi sententia dirimendæ viderentur[14]. Nec refragabor. Credo etiam cum Praxea in Synodo disputatum fuisse.

3. *De Privato* hæretico nihil constat[15]. Concilium contra eum in *Lambesitana colonia,* quæ fuit urbs Numidiæ, habitum commemorant Cyprianus ep. ad Cornel. 59. et Clerus Rom. ad Cyprianum ep. 36. in quarum prima: *Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem veterem hæreticum, in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa gravia delicta* **90** *episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum (quod et vestram conscientiam non latet) Fabiani et Donati litteris severissime notatum*[16]. Habita igitur fuit hæc synodus Lambesæ Numidiæ, sub primate Numidiæ, magno episcoporum confluxu; æquum enim

---

13 Vol. II. p. 90.

14 l. c.

15 Cf. Walchium Gesch. der Ketzereyen II. p. 181.

16 Pag. 132.

judicabatur, uniuscujusque causam audiri, ubi crimen fuerit commissum, ut Cyprianus dicit de causa Fortunati et Felicissimi in epistola ad Cornelium[17]; ejusque adversus Privatum decretum cum Donato Episcopo Carthaginiensi ut Primate totius Africæ communicatum, a quo vel solo vel in synodo confirmatum fuit. Fabianus quoque Episcopus Romanus in epistola jam deperdita[18], Privatum severissime notavit. Idem hic Privatus superstes adhuc fuit, postquam Cyprianus in sedem Carthaginiensem evectus esset, Carthaginemque venit. Oportet hanc Privati litem e gravioribus fuisse, quum Episcopus Carthaginiensis Romanum ea de re certiorem facere decrevisset. Utrum vero sectæ hæreticæ fuerit conditor, an schismatis tantum auctor, plane nos latet. Cyprianus enim errorem, in quem prolapsus sit, haud declarat, sed multorum et gravium delictorum eum reum habet. Hoc vero e litteris presbyterorum et diaconorum Ecclesiæ Romanæ ad Cyprianum vacante sede post mortem Fabiani datis apparet, eum Romam eo consilio venisse, ut litteras communicatorias impetraret, quas tamen haud obtinuit. Posthac ab ecclesia Africana plane secessisse, et Fortunatum atque Felicem episcopos in Africa ordinasse legitur. Annus, quo concilium adversus eum a 90 episcopis habitum fuit, incertus est; celebratum vero fuit a Fabiano Episcopo Romano, qui hanc cathedram tenuit inter annos 236 et 251, et, quia Privatus dicitur vetus hæreticus, in primis Fabiani annis. A Binio ponitur anno 242, a Walchio et Morcello anno 240, qui Labbeum sequuntur[19]. Quum autem Cyprianus aliqua addat de collegio episcoporum, ad quod Privatus alios suarum partium adsumserit, probabile est, eum ipsum fuisse episcopum Lambesitanæ urbis: qua quidem Schelstratius conjectura movetur ad statuendum, primum quidem sede motum fuisse a concilio provinciæ Numidiæ Lambesitano, deinde quoque damnatum in Africæ Proconsularis synodo; quam potius Concilium fuisse totius Africæ Carthagine a Primate Donato habitum statuerim. Et si sic res sese habet, facilius intelligetur, qui negotium tanti momenti, post

---

17 Epist. 50.

18 Walchii Historie der Päbste p. 50. Interiit quoque Donati epistola. Cyprianus igitur primus est Carthaginiensis Episcopus, cujus scripta ætatem tulerunt.

19 Walchii Historie der Ketzereyen II. p. 181.

celebratam synodum, Romano quoque Episcopo per litteras synodicas nuntiatum fuerit. Sed irrita in Privatum fuisse Cypriani conamina credo; nam in quinque illis episcopis Numidicis, qui ad Fortunatum, unum ex illis presbyteris, qui Felicissimo adhærebant, consecrandum Carthaginem convenerunt, Privatus primus legitur; eosque omnes vel hæreseos vel apostasiæ reos dicit Cyprianus, ep. 59.

Pauca sane hæc sunt, quæ conciliis in Ecclesia Africana ab Agrippini inde tempore ad Cyprianum usque celebratis in scriptis Patrum Afrorum sparsa leguntur. Nec ulla spes plura in lucem proditura esse; nisi forte in Bibliothecarum latebris detegantur collectiones canonum hactenus incognitæ cum nominibus conciliorum Africanorum in quibus lati sunt, aut ex ipso solo Africano in ruderibus ædium sacrarum eruantur Inscriptiones Christianæ, in quibus conciliorum facta sit mentio. Quæ vero optanda potius quam speranda sunt.

CAP. XXV.

ADVERSARII CHRISTIANORUM. JUDÆI ET ETHNICI.

1. Accedimus jam ad exponendas vexationes Christianorum Afrorum prisca illa ætate, de quibus quidem per integrum seculum secundum nihil fere referendum habemus, quum sub optimis principibus Trajano, Hadriano, Antoninis, et sub ipso denique Commodo pacatæ eorum res fuisse videantur, nisi contra singulos Christianos secundum leges Trajani fuerit animadversum, qua de re CAP. XXVI. videbimus. Hoc tantum heic observandum: Carthagine ipsa, ubi sedes fuit Proconsulis et Legati Legionis, quæ in Africa militabat, quæque a Caligulæ inde tempore ab omni Proconsulis imperio exemta erat[1], nullam in episcopos clericosque hujus ecclesiæ motam fuisse persecutionem, nullos saltem occubuisse;

1 Taciti Annal. IV. c. 48. Dio Cassius lib. LIX. c. 29. Crevier histoire des Empereurs III. p. 25.

id quod Pontius Cypriani diaconus in vita ejus expressis verbis testatur. *Ex quo, inquit, Carthagine episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis et sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur;* quæ quidem verba quanquam de aliis quoque præter Episcopos Carthaginienses intelligi possunt, clericos tamen unice designare, vel ex eo patet, quod Martyres Scillitani atque S. S. Perpetua et Felicitas cum sociis aliique dimidio fere seculo ante Cyprianum, Tertulliani nimirum ætate, martyrio coronati fuerunt, Itaque Christianorum sanguis in Africa ante Cyprianum effusus est. Dubitari unice poterit, annon Speratus primus in Martyribus Scillitanis ad clerum hujus coetus pertinuerit, quum antesignanus reliquorum fuisse videatur. Quod si est, Pontius ejus haud meminit. At incerta tamen est res!

2. Primas in Africa, ut ubique locorum, adversariorum religionis Christianæ partes tuiti sunt *Judæi.* Hos Tertullianus describit *dispersos, palabundos, et coeli et soli sui extorres, vagantes per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare concedatur*[2]. Attamen eos Carthagine aliisque in Africæ urbibus haud exiguo numero extitisse, vel ex eo colligere licet, quod et Tertullianus[3] et Cyprianus adversus eos libros ediderunt. Et quum in ipso Talmude Carthaginis fiat mentio, certum est Judæos ibi sedes fixisse, Talmudicis scriptoribus unice de iis regionibus atque urbibus loquentibus, in quibus Judæi consistebant[4]; unde quoque factum est, ut singulorum Rabbinorum Carthaginiensium nomina in Talmude occurrant[5]. Judæos vero quinto seculo in Africa extitisse,

---

2 Apologet. c. 21.

3 Si modo liber adv. Judæos Septimio nostro tribuendus est. Multa enim, ut Semlerus monuit, ex libro III. adv. Marcionem hausta sunt. Pro genuino, sed non ad umbilicum deducto, Tertulliani opusculo habet Neander. p. 511.

4 In Talmud. Hierosol. tractat. Schebiith fol. 36. et tract. Kedoschin fol. 61. col. 3.

5 In Talmude Babylon. tractat. Berachoth fol. 29. a. legitur nomen Rabbi Iischak Carthaginiensis. In eodem. tract. Menachoth, fol. 110. a. Aba Bar Rab Iischak. Cf. prætcrea Wolfii Bibliothecam Hebraicam Vol. II. in Catalogo Doctorum Gemaricorum Rabbinorum Carthaginiensium nomina, quæ reperiri potuerunt, exhibente.

indicat canon Conc. Carthag. IV. anno 398. habiti, *de iis qui auguriis vel incantationibus vel Judaicis superstitionibus serviunt* (CAP. I.). Et sponte quidem intelligitur, Judæos commerciis, quibus inprimis Carthago floruit, ad sedes in hac metropoli quærendas allectos fuisse, tantoque facilius huc transiisse, quanto major inter syrochaldaicam et punicam linguam intercederet affinitas. Ex Hispania autem, ubi, nisi prius[6], a Titi saltem Augusti inde tempore extitere, et Roma haud dubie in Africam trajecerunt. Inventa quoque est in Africa Inscriptio commorationis Judæorum testis: POMPEIO RESTITUTO IVDEO POMPEIA KARA PATRI KARISSIMO FECIT[7]. Tertullianus de disputatione brevi antequam librum adversus Judæos scriberet, si scripsit, inter Christianum et Proselytum Judæum habita loquitur cap. 1. *Seminarium infamiæ Christianorum Judæos* dicit alio loco[8], et *Synagogam fontem persecutionum ab Apostolis* vocat liber contra Gnosticos[9]. Attamen Tertullianus fatetur ipsos Judæos Christianos haud persecutos fuisse; scilicet, quia hoc illis per leges Romanas haud licebat: *Etiam si apprehendamur, non in concilia eorum perducemur, nec in synagogis eorum flagellabimur, sed Romanis utique potestatibus et tribunalibus objiciemur*[10].

3. Alterum hostium Christiani nominis genus erant *Ethnici,* a sacerdotibus, quos Christiani non solum contemtu omnis religionis ethnicæ, sed exprobrationibus suis quoque exacerbaverant[11], inter quos in Africa Saturni atque Deæ Coelestis ministri haud dubie eminebant, ut eorum sanguinem poscerent concitati. Inde convicia illorum, *qui eos noluerunt Romanos haberi, sed hostes principum Romanorum* (Apolog. c. 35.) *Christianum* enim ajebant *hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius*

6 Paulus enim Apostolus Hispaniam adire mente conceperat, Rom. XV. 24. 28. id quod vix fecisset, nisi Judæos in hoc terrarum tractu sedes fixisse novisset.

7 Voyage de Shaw p. 129.

8 Libr. I. ad Nationes c. 14.

9 Cap. 10.

10 De fuga c. 6.

11 Sacerdotes v. c. Tertullianus appellavit *vitiosissimos.* Apolog. c. 30. *Miror,* inquit, *cum hostiæ probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinentur.*

inimicum esse (Apolog. c. 2.). Inde porro ludibria, quorum unum Tertullianus Apolog. c. 16. commemorat. *Sed nova jam Dei nostri in illa civitate* (Carthagine) *proxime* (anno circiter 199 quo Apologeticus scriptus est) *editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis mercenarius noxius* (intelligo cum Havercampo hominem Christianos exosum, et quidem Judæum, ut ex loco parallelo ad Nationes I. c. 14. patet, qui cum nullam habuisset necessitatem pugnandi cum bestiis, inter noxios illis non addictus, tamen lucelli cupiditate mercede pacta ipse se lanistæ tradiderat), *picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione:* DEVS CHRISTIANORVM ONOCHOITES[12]. *Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus.* Hunc Deum Onochoitem Cornelius Tacitus jam habet[13], Judæis attributum, Celsus vero, Christianorum acerrimus hostis, iis impingit[14]. De hoc Minucius Felix etiam loquitur[15]. Hinc sine dubio Christiani *Asinariorum* nomine per ludibrium notati[16]. Gemmam veterem hujusmodi figuram asini palliati, qui nescio quid auditoribus suis uno pede porrecto edicere videtur, ad Deum Onochoitem potius quam ad asinum Apuleji spectantem, edidit Stephanonius, quam lectoribus in fine hujus libri exhibebo[17]. Ad nomina, quibus Christiani irride-

---

12 Ab homine et asino generatus (ὄνος et κοίτη). Hanc lectionem, nam codices variant in nomine, præfert Havercampus in editione Apologetici.

13 Historiarum. V. c. 4. et not. Lipsii. Locum Taciti Tertullianus de capite asinino intellexit Apolog. c. 16. Vide quoque Diodor. Sicul. ap. Photium Bibl. cod. 244. et Apionem ap. Joseph. Antiqu. II. c. 7.

14 Apud Origenem adv. Celsum. Lib. VI. c. 31. Ruæi Tom. I. p. 656. Ex Ophitarum mysteriis hausta hæc esse censet Origenes. Cf. quoque Creuzeri Comment. Herodoteas I. p. 272. De Græcorum ὀνοσκελίδι vide easdem. p. 269. quod vero monstrum cum Onochoite nil commune habuit.

15 In Octavio c. 9. p. 55. ed. Davies, et erudita editoris nota.

16 Cf. Kortholtum de calumniis in veteres Christianos sparsis. C. I. Ouzelium ad Minucium Felicem. p. 84. et Ernesti Aug. Schulzii Exercitat. II. de Ononychoto Deo Christianis quondam afficto, in Exercitat. Philologicar. Fasciculo I. (Berolini 1755) ex idolo Thartak, Samaritanis a Judæis afficto, hocce monstrum natum esse docentem.

17 Gemmæ antiquitus scalptæ a Petro Stephanonio Vicentino collectæ et declarationibus illustratæ. Venet. 1646.

bantur, referenda etiam sunt *Sarmentitiorum* et *Semaxiorum* illa (Tertulliani Apolog. c. 50.) Christianis quasi rogo imponendis cremandisque data. Odia porro loquuntur clamores plebis: *ad leonem*[18]*!* Inde quoque convicia, *Christianos esse sceleratissimos de sacramento infanticidii et pabulo crudæ et post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum et libidinum impiarum inverecundia procurent*[19]. Quæ quidem omnia, per universum orbem Romanum sparsa, haud miraberis in Africam quoque penetrasse. Verum nescio, utrum contemtum potius an indignationem moturæ sint eædem hæ calumniæ, ubi non a plebecula, sed ab homine philosopho, erudito, oratorum suæ ætatis principe, Consulari, M. Aurelii Imperatoris præceptore, *Cornelio* inquam *Frontone*, cujus operum fragmenta nuper ab Angelo Majo, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto eruditissimo, ex palimpsestis Mediolanensibus atque Romanis eruta sunt, repetita inveniamus. Hic enim in fragmento a Minucio Felice servato [20], teste interlocutore Octavio, *convicium ut orator aspersit.* Sic vero narrat. *Ad epulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus sexus omnis homines et omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, et incestæ libidinis ebrietate fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. Sic everso et extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortis: et, si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti; quoniam voto universorum appetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum.* Nec aliter Frontonis æqualis atque popularis Apulejus, qui Metamorphoseων L. IX. loco sequenti capite afferendo, mulierem, quam Christianam fingere videtur, ait, *omnes homines fallentem et miserum maritum decipientem, ... continuo stupro corpus mancipare.* Verum mirari haud

---

Tab. 30. et Holstenii Epistolæ ad diversos ed. Jo. Franc. Boissonnade Paris. 1817. p. 173. qui primus hancce gemmam pro scommate in Christianos agnovit.

18 Tertull. Apolog. c. 14. *si fames, si lues, statim Christianos ad leonem!*

19 Apol. c. 7. paulo uberius ad Nationes I. c. 16.

20 Octavii c. 9.

subibit Apulejum, tot Deorum Mysteriis initiatum, *sacerdotem præterea Aesculapii* [21], Christianis infensum fuisse: inprimis si vera est Guilielmi Warburtoni episcopi Glocesteriensis conjectura, Apologiam Apuleji scriptam esse adversus Aemilianum, Christianum, qui eum magiæ accusasset [22]. Utrumque vero, Frontonis fragmentum atque Apuleji scomma, quæ forsitan Tertulliano innotuere, et si non hæc, certe tamen rumores in vulgus sparsi, quos sæpius respicit [23], abunde declarant, quousque odia in Christianos processerint, et quanta sapientia pariter ac constantia opus fuerit Trajano, Hadriano et Antoninis Augustis ad coercendas istas iras, Christianosque a persecutionibus non plebeculæ tantum, verum sacerdotum quoque, et philosophorum qui foedus cum hisce pepigerant, sospitandos. Hi enim, licet ipsi liberaliores de rebus divinis alerent et traderent in suis scholis publice sententias, tamen popularem religionem, civilem illam, cum institutis reipublicæ arctissimis vinculis nexam minime adgressi sunt, verum potius defenderunt: illius inprimis ætatis philosophi, qui sectæ Neoplatonicæ addicti, sua de dæmonibus decreta cum polytheismo conjungere, et huic iisdem nova fulcra parare, omni studio allaborarunt. Unde maximopere iis displicuerunt conamina Christianorum, qui ipsi plebi omnibusque omnino hominibus ad cognitionem unius veri Dei aditum munire studuerunt. Et si hi, quod quidem de Apulejo constat, mysteriis magicisque artibus, Christianis tantopere invisis, addicti essent, tanto incitatiori in Christianos animo fuere. Accessit præterea mos Christianorum eruditiorum, se ipsos Philosophos appellandi, pallioque philosophico vel ascetico [24] incedendi, quod Tertullianus certe haud primus fuit qui gesserit, licet probari vix possit, eum, postquam ad Christum sese converterit, vel presbyter fuerit ordinatus, hocce assumsisse, et

21 Florid. p. 356. et 361. Carthagine quoque summum honorem (Duumviratum v. Suffetum dignitatem) adeptus est. ibid. p. 356.

22 Apud Jablonskium Opusculor. Tom. IV. p. 46.

23 Ad uxorem II. 4. Apol. c. 2. 4. 7. 8. 39. ad Nationes c. 7.

24 Eundem hunc vestitum fuisse docet Artemidorus Oneirocrit. IV. c. 13. Neander. p. 310.

universe presbyteros atque episcopos eo usos fuisse[25]; hoc tamen in dubium vocari nullo modo poterit, Philosophos ægre tulisse Christianorum philosophici nominis adfectationem, omnique opera contendisse, ut se ab iis distinguerent; ideoque vel in persecutionibus suas partes egisse.

Verum enimvero, quamvis non omnes calamitates a singulis Christianis averti potuerint, multique sua sponte mortem oppetierint, hoc tamen sapientia principum atque humanitate et moderatione magistratuum plurimis in locis actum, ut tolerabilior esset Christianorum status, atque pax ecclesiæ rarius turbaretur. Quod in Africa quoque evenisse jam videbimus.

CAP. XXVI.

STATUS CHRISTIANORUM ANTE PERSECUTIONEM SEVERI.

1. *Navigamus et nos vobiscum, et militamus, et rusticamur, et mercamur; proinde miscemus artes, opera nostra publicamus vestro usui,* dicit Tertullianus Apolog. c. 42; alioque loco: *Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa* (Apolog. c. 37.). Si in Christianos sæviendum, *decimanda foret Carthago* (ad Scap. c. 5.). *Senatorii ordinis viros*[1], *matronas et principales quasque personas* inven-

---

25 Librum hunc conscripsit Tertull. cum pacis otia essent circa an. 208. (Noesselt II. p. 31. Neander p. 309. 10. seccundum Morcellum an. 210.) pluribus igitur annis post inchoatam persecutionem. Walchii Antiquitates pallii philosophici p. 225. Erat hæc sententia Salmasii, cui quoque adstipulatur Augusti Archæol. Christianæ Vol. VIII. p. 209. *Habitum* certe *sacerdotalem* habet Tertullianus (apud Salmasium p. 74.) et *infulas*, quas *communis disciplinæ formam in fronte* appellare videtur. (de monog. c. 12.).

1 Sunt iidem hi Senatores, quos Valerianus in edicto, cujus ipsissima verba extant in Cypriani epist. 80. ad Successum anno 258 data, p. 273, dignitate

turus ibi fuisset Scapula (ibid.) Idem porro testatur, *Christianis multos præsulum Gentilium benevoluisse* (ad Scap. c. 4.) *Nullum principem, præter Neronem et Domitianum, usque ad hodiernum* (Severum) *Christianos persecutum fuisse* (Apolog. c. 5.) *eosque nunquam inventos fuisse seditiosos aut contrarios magistratibus, nunquam Nigrinianos, nec Albinianos, nec Cassianos*[2] (ad Scap. c. 2.). Ex his similibusque cum magistratuum Romanorum tum Christianorum quoque laudibus, quarum plenus est Tertullianus, colligere fas, horum statum atque conditionem a Nerva inde usque ad Severum satis fuisse pacatum, ut per universum Orbem Romanum, ita quoque in Africa.

2. De rebus vero Christianorum in hac provincia usque ad principatum Severi historia pauca admodum reliquit. Tertullianum fere unicum habemus testem, qui de eis ante hanc ætatem nonnulla passim tradit, quæ suis locis annotavimus. De Africa quoque valebunt quæ Apolog. c. 5. universe de Marco Aurelio Imperatore, Christianis sane haud infenso[3], scribit: *Sicut M. Aurelius non palam ab ejusmodi hominibus* (Christianis) *poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore.* Ultima quidem verba in rescripto Marci, quod ex Melitone Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit Eusebius L. IV. c. 18. haud leguntur: attamen habet verba: *delator autem ipse poenas luat.* Et fortasse

---

amissa etiam bonis spoliare, et, si ademtis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque multari jussit. Idem præcepit de egregiis viris, equitibus Romanis (copula enim *et* inter *viri* et *equites* posita delenda est cf. Neandri Kircheng. I. 214.) Matronas autem ademtis bonis in exilium relegari jussit.

2 Qui Avidio Cassio, contra Marcum Aurelium seditionem moventi, aut Pescennio Nigro, Clodioque Albino, æmulis Severi ab eaque deletis, adhæserint.

3 Videantur quæ hoc de argumento scripsit Kestnerus, Theologus nuper Jemensis, in libro cui titulus Agape; ubi studiose congessit quæcunque ad illustranda Marci de Christianis judicia faciunt. Equidem sane hypotheses, quibus refertus est hic liber, minime amplector, verum multa ingeniose observata esse censeo, et nonnulla, inprimis quod varia scripta attinet ab omnibus fere Criticis reprobata, digna esse, quæ in accuratius examen denuo revocentur.

Tertullianus respicit factum quod sub Commodo evenit, quo, ut Eusebius narrat, H. E. V. 21. accusator Apollonio Christiano suscitatus fractis cruribus occisus fuit [4]. Ipse vero Marcum velut protectorem Christianorum suspexit: *Ut nos*, inquit Apolog. c. 5. *e contrario edimus protectorem, si literæ M. Aurelii requirantur.* Incendium fori Carthaginiensis, quod sub Pio evenerat [5], occasionem forte præbuerat motibus popularibus adversus Christianos, sæpius postea repetitis, quos Marcus tandem repressit. Plura Tertullianus habet de Severo. Hunc, ipsa ex Africa oriundum, Spartianus in vita ejus cap. 2. legationem Proconsulis Africæ obtinuisse, et Christianis favisse cap. 1. et sæpius testatur. Causam hujus favoris Septimius noster haud obscure indicat fuisse eam, *quod a Proculo Christiano*, (de quo quæ fuerint virorum doctorum conjecturæ, haud enim sunt aliud quam conjecturæ, Kortholtus collegit [6], *per oleum aliquando curatus fuerit*, quamobrem *Imperator eum in palatio habuit usque ad mortem ejus* (ad Scapulam c. 4.) Tradit porro: *Severum clarissimas feminas et clarissimos viros*, (hoc est Senatores, haud dubie Carthaginienses, eo forte tempore quo. Legatus Proconsulis Africæ fuit), *sciens hujus sectæ esse, non modo non læsisse, verum et testimonio exornavisse, et populo furenti* [7] *in os restitisse* (ibid.). Quas vanas populi iras, antequam

4 Jablonski Excercitationes de antiquit. et H. E. Opusculorum ed. Te Water IV. p. 17. 18.

5 Capitolinus in Pio. c. 9.

6 De persecut. p. 255. Forte idem fuit alterius Montanistarum sectæ, quæ κατὰ Πρόκλον vocabatur, conditor.

7 Plebem unice per Orbem Romanum Christianorum sanguinem poposcisse testatur Tertullianus Apolog. c. 35. *Sed vulgus, inquis. Ut vulgus, tamen Romani, nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus. Plane cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide, nihil hosticum de ipso Senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.* Sacerdotes tantummodo in hoc recensu reticet. Attamen magistratus, quo magis hujus vulgi favorem captarent, nonnunquam iniqui erant in Christanos; id quod Tertullianus iis c. 49. exprobrat. *De qua inquitate sævitiæ non modo cæcum hoc vulgus exultat et insultat, sed et* QUIDAM VESTRUM, *quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur, quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium.* Cf. Moshemii Comment. de reb. Christ. ante Constant. M. p. 254.

Severus gladium in Christianos stringeret, respiciunt forte verba Sperati Martyris Scillitani: *male suscepti a vobis gratiam semper egimus*[8]. Ex hisce de Severi erga Christianos favore testimoniis valde fit verisimile in cap. 5. Apologetici, ubi Tertullianus eos recenset Imperatores, qui Christianis haud fuissent infensi, loco *Veri* legendum esse *Severus*, ut nonnulli quoque habent. Præter vero istas quas attulimus benovolentiæ Imperatroris causas alia forsitan indicari poterit. Galliam aliquando rexerat sub Marco[9]. Quodsi igitur, quæ Balduini fuit opinio[10], passio Martyrum Lugdunensium in illa inciderit tempora, haud plane rejicienda videtur conjectura, Severum, inspectis actis judicialibus, et constantia martyrum motum, melius de Christianis statuisse. Obstat vero silentium Tertulliani; vix enim hoc reticuisset!

3. Attamen neutiquam negari potest, haud plane pacatas fuisse Christianorum in Africa res, eosque in jus interdum raptos, et lege adversus eos actum fuisse. Hoc enim testimonia Tertulliani, si nimirum libri ejus ordine chronologico, quantum hic constitui poterit, legantur, atque Acta Martyrum Scillitanorum luculenter evincunt. Sed, singulos casus si excipiamus, in quibus magistratus seditiosis plebis clamoribus cedere fortassis coacti fuerunt, quum Neronis leges in Christianos latæ abolitæ haud fuerint[11], actum tantummodo fuit secundum legem Trajani; qui ipso Tertulliano teste, *leges, quas adversus* Christianos *soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes,* (utpote Nero et Domitianus) *ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos;* id quod ex Rescripto hujus Imperatoris ad Plinium Secundum (Epist. Lib. X. 98.) uberius patet, quo eos conquirere vetuit, deferre et arguere admisit, propositione tamen libelli sine auctore rejecta[12]. Secundum

---

8 Ruinart Acta Martyrum genuina p. 77. et 79.

9 Dio Cassius L. 74. c. 2. p. 1243. Reimari. Spartianus quoque in Severo c. 6. scribit: *deinde Lugdunensem provinciam Legatus accepit.*

10 Edicta Principum Romanorum de Christianis. ed. Lips. 1724. p. 97.

11 Tertull. ad Nationes I. c. 7. *Et tamen permansit, erasis omnibus, hoc solum institutum Neronianum.* Huc igitur spectant Tertulliani verba in textu citata, Trajanum leges adversus Christianos *ex parte* frustatum esse.

12 Boehmeri Dissertat. p. 315.

has Trajani leges in Africa quoque in Christianos actum esse videtur: nam cap. 2. Apologetici anno 199. scripti ait Tertullianus: *solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio quam oblatio!* Jam igitur, quæ fuerit causa, cur vel sub Severo, Christianorum fautore, certe non adversario, in ipsa ejus patria contra Christianos sævitum fuerit, breviter examinandum erit. Qua in disquisitione facem nobis prætendet Kortholtus. Is enim, mea sententia satis ingeniose, conjicit, Plautianum, qui, quamvis præfecti prætorio amplissima dignitate a Severo auctus inque intimam Imperatoris familiaritatem admissus fuisset, id tamen omni astutia egit, ut Imperium sibi suisque oblata occasione arrogaret, et magnum hominum privatorum optimatumque numerum morte affecit, ut perhibet Dio Cassius: quod quidem duplici egisse videtur consilio, tum, ut divitiis opulentiorum potiretur, et argentum, cujus cupidissimus erat, extorqueret, quæ universe Pauli Sarpii fuit opinio de causis persecutionum a Commodi successoribus motarum[13], haud tamen ubivis probanda: tum quoque, ut ipse hac hominum optimatum, et in Africa quoque, Severi patria, cæde, Imperatoris nomen, quoniam vere erat *Severus*[14], licet in Africam multa contulerit beneficia[15], formidatum universis, exosum quoque redderet, sibique ad imperium viam muniret. Occasionem vero facile nactus est; Pescennio enim Nigro anno 194. et Clodio Albino anno 197. deletis, in asseclas eorum hostili animo a crudeli victore grassatum fuit; unde, jubente vel instigante Plautiano, Christiani, quamvis neque Nigriniani neque Albiniani fuissent, huic persecutioni obnoxii reddi potuerunt. Aliam præterea fortassis obtulit rescriptum, quo Imperator eos, *qui illicitum collegium iniisse dicerentur .... apud Præfectum urbis accusari* jussit[16]. Sed quum de anno nil constet, huc indubitate referri nequit. Promulgabatur quidem Romæ;

---

13 Delle materie beneficarie c. 2.

14 Spartianus in Severo c. 14.

15 Exstat numus Severi, inscriptus AFRICA. beneficiorum, quibus hanc provinciam ornavit, testis. Eckhel. Doctr. Num. Vet. VII. p. 171. *INDVLGENTIAm AVGG. IN CARTHaginem* laudant quoque complures numi Severi, Caracallæ, et Getæ. typo Deæ Coelestis nobiles, anno 203 et sequentibus procusi. Eckhel ibid. p. 183. et 204.

16 Apud Ulpianum de officio præfecti urbis in Digest. Lib. I. Tit. XII. l. I. §. 14.

idem vero, quod in metropoli de publica tranquillitate servanda jussum erat, in reliquis majoribus urbibus observatum fuisse, non est quod dubitemus; inprimis si de illicitis ageretur collegiis, quæ ex antiqua jurisprudentia Romanorum a S. C. de Bacchanalibus inde, magistratuum perpetuam curam atque vigilantiam, sub Imperatoribus haud secus quam stante R. P., exercuerunt; id quod inter alia Trajani ad Plinium rescripta docent.

4. In hæcce tempora, ni fallor, cadit passio Christianæ *ad lenonem* damnatæ, cujus Tertullianus meminit Apologetici cap. ultimo: *Nam et proxime* (brevi ante Apologeticum editum tempore), *ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari.* Quod quidem poenæ genus Christianis virginibus, quæ Diis sacrificare nollent, inflictum, in Actis Martyrum sæpius legitur. In Africa vero ortum videtur. Minime erat Romanum; sed nisi judices atroces ex speciali principis mandato hujusmodi sententiam ferendo egerint, explicari tantummodo poterit ex damnatione in opus publicum, in pistrina, gynæcia, baphia, thermas et balnea, in quibus, quum servi et ancillæ publicæ communem viverent vitam, morum castimonia minime servabatur, unde facillime eodem ac lupanaria, quæ sequenti tempore meritoria quoque vocata sunt, contemtu habebantur, atque in vulgari sermone haud raro cum iis confundebantur[17]. Neque hic unicus locus in quo Tertullianus hujus atrocitatis meminit. Plura enim ejusdem rei exempla nota illi fuisse, facile intelligetur ex c. 15. libri de monogamia, ubi: *Utique enim illam magis excusari capit, quæ in prælio cecidit* (in pugna cum bestiis) *quam quæ in cubiculo; quæ in equuleo succubuit, quam quæ in lectulo; quæ crudelitati cessit, quam quæ libidini; quæ gemens devicta est, quam quæ subans.* Eadem ratione post Tertulliani tempora a persecutoribus in virgines

---

[17] Uberius hoc de re egi in Dissertatione de Christiana in domo ethnica ante Constantini Magni tempora, actis Philosophicis et Historicis Regiæ Societatis Scientiarum Hafniensis anno 1827 editis inserta, et Germanisce quoque vulgata, sententiam Crameri de difficili hoc argumento secutus. Multa rei exempla ex scriptis Patrum et Actis Martyrum collegit Sagittarius de Martyrum cruciatibus p. 253. sequ.

Christianas sævitum fuisse, fidem facit Cyprianus de mortalitate p. 162: *Excedunt ecce in pace tutæ in gloria sua virgines, venientis Antichristi minas et coruptelas et lupanaria non timentes.*

5. Itaque in Christianos per speculatores et delatores invigilatum[18] inque eos inquisitum et sævitum est ab anno inde 197. quo Tertullianus nondum presbyter[19] Carthagine[20] librum ad martyres edidit, quos *felices* prædicat, *quamvis in vincula conjectos*, quibusque potest rationibus hortatur, tum ad concordiam ineundam, nam lites inter eos exarserant[21], tum ad constanter perferenda quæ jam perpetiantur, atque in posterum perpessuri sint. In carcerem conjectos *benedictos martyres designatos* salutat[22], et martyrium

---

18 Hoc probant verba Tertulliani in Apolog. c. 8. *Quotidie obsidemur, quotidie prodimur; in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur.* Hinc colligimus, in ipsos Christianorum coetus (forsitan antelucanos) impetum factum fuisse. — Similia habentur L. I. ad Nationes c. 7.

19 Post hunc librum scriptum, ut Morcellus statuit II. p. 48. presbyter factus est. Nondum enim presbyterum fuisse, conjicit e verbis Tertulliani ad martyr. c. 1. *Nec tantus ego sum, ut vos adloquar, veruntamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et præpositi sui, sed etiam idiotæ et supervacui quique adhortantur de loginquo; ut sæpe de ipso populo suggesta profuerint.*

20 Carthagine eo tempore aderat, certe non Romæ. Apol. c. 7. Morcell. II. p. 45.

21 Ad Martyr. c. 1. *Non ergo dicat* (diabolus): *in meo* (in carcere) *sunt, tentabo illos vilibus scidiis, affectionibus, aut inter se dissensionibus .... nec illi tam bene sit in regno suo, ut vos committat, sed inveniat munitos et concordia armatos: quia pax vestra bellum est illi.* Cf. Episc. Lincoln. p. 150.

22 Hoc epitheton *Benedicti,* quo Tertullianus martyres aliosque Christianos sæpius alloquitur, Holstenius animadvertit ad Passionem S. S. Felicitatis et Perpetuæ in Africanam Latinitatem ex syriaco aut hebræo (rectius punico) sermone fluxisse, ubi בָּרוּךְ haud raro usurpatur. Sic quoque *benedictus Papa Cyprianus,* (in epistola Cleri Romani inter Cypriani 3), *benedictus Martyr Paulus,* ep. 22. Et in tessera vitrea antiqua Christo dicata legitur: A(nno) SECVLARE BENEDICTE PIE ZESES. Ciampini Disquisitio de duobus Emblematibus in Cimelio Cardinalis Carpinei. Romæ 1691. p. 16. et 44.

subituros esse exspectat. *Bonum agonem*, inquit c. 3. *subituri estis, in quo Agonothetes Deus vivus est, ... corona æternitatis, brabium angelicæ substantiæ* etc. *Itaque Epistates vester Jesus Christus .... valuit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis.* In hoc vero carcere durius habitos fuisse, indicant verba c. 2. *Nil cras sentit in nervo, quum manus in coelo est.* Sic quoque de *tenebris* loquitur, *quas habet carcere* (ibid.). Nemo vero hucusque capitis propter religionem damnabatur. Vigellius enim Saturninus, qui Proconsulatum adiit anno 200, primus gladium in Christianos egit [23].

Quod vero ad Magistratus Romanos attinet, his inprimis curæ fuisse videtur, ut Christianos metu tormentisque compellerent, non ad fatendum se Christianos esse, sed ad negandam potius accusationem, Christumque abnegandum eique maledicendum. Quoad illud Tertullianum habemus testem Apolog. c. 2: *Quum igitur in omnibus nos aliter disponitis quam ceteros nocentes, id unum contendendo, ut de eo nomine excludamur (excludemur enim si facimus quæ faciunt non Christiani), intelligere potestis non scelus aliquod in causa esse sed nomen, quod quædam ratio æmula operationis insequitur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo et credunt de nobis quæ non probantur, et nolunt inquiri, ne probetur non esse, quæ malunt credi, ut nomen illius æmulæ rationis inimicum, non probatis criminibus, de sua sola confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia nominis prælium est.* Eadem ratione Scapulæ in mentem revocat, quod fateantur Ethnici, *Christianos esse innocentes, quos damnare statim ex confessione non velint, sed ad negationem prius cogant* (ad Scapulam c. 4.). Hoc vero, ut Christiani Dominum abnegarent eique maledicerent, Magistratus a persecutionum inde initio poscebant [24]. In hisce tamen calamitatibus Christianos haud omni cum fratribus interdictos fuisse commercio, noscitur ex capite 2 libri ad

---

23 Tertullianus ad Scapulam c. 3.

24 Cf. Plinii ep. ad Trajanum Ep. X. 99. et Martyrium Polycarpi Smyrnensis Episcopi ap. Eusebium H. E. IV. 14.

Martyres: *Immo et quæ justa sunt caro non amittit per curam ecclesiæ, agapen fratrum*, quum sine dubio fratribus, inprimis diaconis[25], qui *fratrum auxilia* (cap. 1. init) iis subministrabant, aditus ad carcerem pateret[26], lapsique haud excluderentur, *qui pacem haud habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt.* Neque reticendus alius Septimii locus de jejuno (c. 12.) licet hic haud sine ira scriptus sit ab eo Montanista jam facto; unde patet, captivos a Christianis interdum laute fuisse habitos, et Magistratus erga eos haud semper extremam exercuisse severitatem[27].

---

25 Cypriani epist. 11. *Semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et scripturarum præceptis gubernarent.* Idem docent Acta Martyr. S. S. Perpetuæ et Felicitatis, ubi *Tertius et Pomponius Diaconi iis ministrasse* dicuntur.

26 Auxilii Martyribus a Christianis lati momumentum extat in lapide Gruteriano p. MLV: MANDROSIA MARTYRVM OBSEQVIIS DEVOTA TRANSEGI FALSI SECVLI VITAM; Romæ ad viam Ostiensem. Eadem hæc auxilia respicit versus Commodiani Instructione 58.

Si refrigerare cupis, admartyriza! Adsiste Martyri, procede ad Martyres, qui in carcere; horum necessitates pro facultatibus tuis adjuva, constantiam monitis, hortatibus fove, accende. Schurzfleisch. Sic Commodianus quoque Instructione 6.

Certe, si non ipse pugnat, vel suggerat illis. Verbum *admartyriza*, videtur esse ἅπαξ λεγόμενον, (vide Adelungii Glossarium manuale ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis) et Africanæ originis. Ceterum Commodianus vix primas Christianorum Afrorum vexationes respexit.

27 Liber de jejunio scriptus est post librum de monogamia, cujus quasi altera est pars, itaque brevi post annum circiter 204. (Noesselt Diss. III. p. 26.). Verba Tertulliani sunt hæc: *plane vestrum est in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille Pristinus vester non Christianus Martyr attigerat, quem et* (al. ex) *facultate custodiæ liberæ aliquamdiu farsum* (al. fartum), *omnibus balneis quasi baptismate melioribus, et omnibus luxuriæ secessibus, quasi ecclesiæ secretioribus, et omnibus vitæ istius illecebris, quasi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum, ne mori vellet*, etc. Cf. Luciani Peregrinum, ubi similia narrantur de Christianis Orientalibus, Peregrino in vincula conjecto subvenientibus.

Quamquam autem Plautiani avaritia atque insidiæ vera fuerunt harum vexationum causa; prætextum tamen, quo Imperatori et Magistratibus fucum faceret, simulasse necesse est. Neque hic anxie erat quærendus, sed ultro sese homini Christianis infenso obtulisse videtur in *coetibus antelucanis* Tertulliano sæpius commemoratis (de corona c. 3. ad uxorem II. 4. de fuga c. 14.) quos Romani haud dubie pro collegiis illicitis tantoque magis suspectis habuerunt, quod *lucifugi* esse videbantur.

In hac autem persecutione haud omnes fidem servasse, verba Tertulliani indicant de *lapsis pacem haud habentibus, quam a Martyribus in carcere exorare consueverint.* Imitio quidem mitior fuisse, mox autem recruduisse videtur. Anno enim 198 quinquennalia Severi celebrabantur, qua occasione in Antoninum filium ejus natu majorem Augusti, in Getam minorem Cæsaris honores conferebantur [28], ludique edebantur, Romæ quidem præcipue, haud vero dubie in omnibus quoque majoribus imperii urbibus, et maxime Carthagine, metropoli provinciæ illius, quæ natale erat domus Augustæ solum. Pythiorum enim celebrandorum veniam Carthaginienses Vigellio Saturnino Proconsule suasore a Senatu impetraverunt; quos quidem ludos in ea urbe nemo antea spectaverat. Gratissima hæc universæ provinciæ res, propter quam civitatum Africanarum oratores de honore Carthagini parto gratulatum venere [29]. Horum ludorum causa Odeum exstructum fuit, in quo poetæ et musici certarent [30]; spectacula quoque edita, quæ Tertulliano occasionem præbuerunt libri de spectaculis conscribendi, quibusque Christiani, quod ethnicæ superstitionis plena essent, haud interfuerunt. Hæc vero Ethnicis displicuerunt; et quum publicis ob victorias Severi de Pescennio et Albino gaudiis parum sese immiscerent, nisi quod laureas in postibus, et lucernas pro foribus, improbante licet Tertulliano qui eas idololatrias vocavit [31], sæpe ponerent [32], a plebe bellis ipsis

---

28 Moshemii D. de ætate Apologetici Tertulliani in Dissert. ad Historiam Eccles. I. p. 70.

29 Scorpiace c. 6. Morcelli Afr. Christ. p. 51.

30 Scorpiace c. 42.

31 De Idol. c. 9.

32 Ibid. c. 15. *Plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis et laureis quam Christianorum.* Unum tamen comme-

civilibus concitata, et Christianis infensa, hostes Populi Romani, Principum Romanorum, irreligiosi in Cæsares, itaque majestatis rei habebantur; quam ob causam, quum in istis de quibus diximus celebritatibus gladiatoria quoque munera, pugnæque cum bestiis exhiberentur, plebecula a Judæis ac sacerdotibus mota sanguinem Christianorum poscere solebat; quibus quidem clamoribus Imperator, ubi præsens esset, haud cessit, nam de constantia ejus (*constantissimum principem* dicit Tertullianus Apolog. c. 4.) intelligo hujus auctoris testimonium supra adlatum, *eum populo furenti in os restitisse* (ad Scapulum c. 4.) cujus quidem constantiæ declarandæ ante et post susceptum imperium occasionem haud dubie frequenter habuit.

5. Proconsulatum in Africa illa ætate gessit *M. Vigellius Saturninus*, qui teste Tertulliano (ad Scapulam c. 3.) *primus gladium in Christianos egit*, et sub quo Martyres Scillitani passi sunt [33]. Diverse ejus nomen scribitur. Scilicet: *M. Gellius Saturninus*, *Valgius Saturninus*, *Vitellius Saturninus*, quorum nullum legitur in fastis consularibus. Habent autem hi *Tiberium Haterium Saturninum*, qui consul processit a. u. c. 951, post Christum 198 [34]. Nec video, curni liceat statuere, eum biennio aut triennio post abdicatum Consulatum ad regendam Africam a Senatu Romano missum fuisse [35]. Sed alius quoque fuisse potest. Nam Saturninorum cognomen primis post Christum natum seculis frequens fuisse et numi et marmora testantur. Vir mitioris erat ingenii, id quod infra ostendetur. Egit igitur tantummodo ex legibus Trajani, clamoribusque populi coactus. Neque tamen impedire potuit, quo minus in Christianos sæviretur. *Ad leonem* enim petebat plebs (Apolog. c. 42.); et variis iisque atrocissimis tormentis vexatos fuisse Christianos, Tertullianus Apolog. c. 12. conqueritur:

---

morat Christianum domum ex itinere reversum, qui ægre tulisset, quod familia ejus januam corona ornasset.

33 Laudes ejus apud Dionem Cassium L. LXXII. c. 11. Nomen ejus in Fastis Consularibus haud reperi. Huic, ut filiis, pronomen Marco fuisse, vetus Vigelliorum Epitaphium apud Maffeum Mus. Veron. p. 305. no. 9. indicare videtur Morcello II. p. 48. Hanc Saturnini persecutionem refert. ad an. 198.

34 Almeloveen Fasti Consulares p. 528.

35 Fortassis etiam statim, licet rarius hoc factum sit.

crucibus et stipitibus impositis Christianos, sunt ejus verba, Apolog. c. 12: *ungulis deraditis latera Christianorum...... cervices ponimus ante plumbum et glutinum et gomphos; ad bestias impellimur...... ignibus urimur ...... in metalla damnamur, ... in insulas relegamur.* Sic etiam Apolog. c. 39. de stipe menstrua disserens: *hæc quasi deposita pietatis sunt ..... egenis alendis humandisque ..... item naufragis, et si qui in metallis, et qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* Lapidibus quoque Christiani in Africa a plebe obruti fuisse videntur, aliisque modis per ludibrium vexati, v. c. botulis cruore distentis ori admotis, (Apolog. c. 9.) quem quidem cibum præcepti Apostolici Actor. XV. 29. memores (de monog. c. 5. Apolog. c. 9.), aversabantur. Nec mortuis nominis Christiani hostes parcebant. Hi enim, ut asserit Tertullianus Apolog. c. 37. *ipsis Bacchanalium furiis* e sepulcris avulsi, dissecti atque distracti fuerunt. Quæ vero omnia haud a Magistratibus jussa, sed a plebe in Christianos furente commissa esse, Magistratibus tamen haud impedientibus, per se patet.

Metalla autem, in quæ damnabantur Christiani Afri, quærenda sunt viciniora, utpote Hispanica et Sardinica. In ipsa Africa Romana, cujus metalla reticentur a Burmanno et Caryophilo [36], fuit *metallum Siguense*, quod habet inscriptio epistolæ inter Cyprianicas 79 p. 236 Fell.[37]. Nomen hoc in codicibus diverse scribitur. Sunt enim qui habent *Singuense*. In Tabula Peutingeriana et Itinerario Antonini legitur nomen oppidi Numidici, *Sigus* vel *Sugus*. Habemus quoque *Victorem Sugitanum*. *Sigam* præterea, oppidum alterius (Tingitanæ) Mauretaniæ ex adverso Malacæ Hispaniæ, commemorat Plinius Hist. Nat. V. 2. Aliud metallum in vicinia Carthaginis, a septentrione urbis Bona, extat in monte Jadogh, qui habet ferri fodinas [38]. Ceterum lapicidinæ quoque metalla vocabantur; cujusmodi fuere metalla illa Thebaica, Martyrum Palæstinensium carceres, de quibus Eusebius de Martyribus Palæstinæ c. 8. et 9. qui Porphyriten locum commemorat, sic ex nomine marmoris ibi effossi dictum.

---

36 Burmanni de vectigalibus P. R. Caryophili de antiquis auri, argenti, stanni, æris, plumbique fodinis, Viennæ 1757.

37 Ruinarti Acta Martyr. p. 202. Deest vero in editione Baluziana ep. 80. p. 163.

38 Cellarii Geogr. antiqua II. p. 909.

An vero ad metalla referendæ quoque sint *scrobes* illæ in Byzacena provincia, ad quas faciendas Catholici a Vandalis damnabantur [39], nescius sum; quandoquidem *scrobs* pro metallo usurpatur. Fortassis vero istæ scrobes erant fossæ illæ, quibus Byzacena a Proconsulari provincia discriminabatur [40].

Per insulas, in quas Christianos relegatos fuisse auctor est Tertullianus, vix est dubium, quin Sardinia, Corsica et Balearicæ intelligendæ sint, in quas Romani tot reos deportabant.

In mortis autem generibus hoc, quod bestiis objiciebantur, etsi Christiani Romæ quoque et alibi eodem supplicio haud raro afficerentur, in Africa tamen inprimis in eos sævitum esse, docet Holstenius [41]. Namque feræ, quas Atlas mons atque deserta Libyæ interioris alebant, in hac provincia domesticæ quasi erant, atque ex ea trans mare mittebantur. Id quod ex Androclis decantata illa historia [42] et ex marmoribus [43] certum atque exploratum est.

6. Attamen ad omnes hasce Christianorum vexationes observabimus, eas haud ubique per Africam exerceri potuisse, sed iis tantummodo in locis, ubi adessent summi magistratus; in Africa Proconsulari a Proconsule atque Legato

---

39 Victor Vitensis histor. persecutionis Vandalicæ Lib. I. (edit. Venetæ 1731. c. 14. p. 10. *Tum Theodoricus* (Geiserici Regis filius) *in Byzacenæ provinciæ cum* (Armogastem) *condemnat scrobes.* Sed libro II. c. 4. p. 15. lego: Geiscricum Heldicum quendam *ad faciendas scrobes vincis profuturas condemnasse.*

40 Plinii Histor. Natural V. 4.

41 Ad Passionem S. S. Perpetuæ et Felicitatis p. 136.

42 A. Gellii Noctes Atticæ V. 14. Simile factum tradit Seneca de beneficiis II. c. 19. Idem enim esse, prohibet temporum ratio, si lex Petronia lata fuit sub Augusto.

43 Sic in Breviario Augusti: QVAE ANTE TEMPVS DEFVNCTARVM AFRICANARVM (Pantherarum) DECREVERAM MEO NOMINE AVT FILIORVM MEORVM ET NEPOTVM IN CIRCO .... AVT IN FORO AVT IN AMPHITHEATRIS POPVLO ...... QVIBVS CONFECTA SVNT BESTIARVM CIRCITER TRIVM MILLIVM ET QVINGENTA. Cf. Gutherium de vet. jure Pontificio p. 347. Aliam Inscriptionem, in qua laudatur L. Fadius Pierus, qui eodem anno, quo factus est Decurio, GLADIA PARIA XXX ET VENATION. BESTIAR. AFRICANARVM ...... EDIDIT, habet idem Gutherius p. 352., utramque vero ex Grutero p. 232. et 409.

Legionis, quem Cajus constituerat post Silanum, qui ultimus fuerat Proconsul cum imperio militari; (his enim unice jus gladii concessum erat) in reliquis autem provinciis a Procuratoribus Augustorum atque Legionum Præfectis. Numidiam eo tempore rexit S. Varius Marcellus, Severi affinis et Juliæ Soæmiadis maritus, qui, quum Sevevi animum nosset in Christianos propensiorem, iis ante edictum promulgatum vix molestiam intulit. Neque credendum Procuratores Cæsaris, Mauretaniæ præfectos, pacem ecclesiæ turbasse, quum et hi Severi mentem cognitam haberent[44]: nisi interdum a Plautiano clam Cæsare concitati fuerint. Ludi autem Christianis adeo exitiales unice edebantur Carthagine, in Amphitheatro juxta Castra Prætoria exstructo[45]. Hoc enim in loco, populo spectante plaudenteque, Christiani bestiis objiciebantur.

7. Omnium vero primus, qui in Africa pro Christo mortem subiit, videtur fuisse Namphanio, homo e Punica stirpe, ut nomen indicat[46], oriundus. *Archimartyr* ea de causa salutabatur; eumque Maximus Madaurensis Grammaticus ad Augustinum scribens, *cunctis Diis immortalibus præferri* queritur[47]; erat enim Maximus ille ethnicus. Socios ejus memorat Migginem s. Mygdonem, Lucitam et Samaem, homines identidem Poenos. Hi igitur prisci Africæ incolæ in hoc terrarum tractu primi fuere qui Martyrii coronam adipiscerentur. Fortasse quod inferioris essent conditionis vel etiam servi. In Martyrologio Romano Madaurenses habentur. Incertum hoc! Attamen eorum festivitas Madauræ celebrabatur. Nec soli passi sunt. Maximus enim Madaurensis de aliis quoque loquitur *interminato numero,* quos *Diis hominibusque odiosa esse nomina* ait.

8. Huc commode quoque inserenda videntur, quæ Tertullianus, nulla temporis mentione facta, libro de jejunio c. 12. de morte Pristini narrat. Hunc *non Christianum Martyrem* appellat, quia, quum tormentorum vi coactus

---

44 Morcelli II. p. 50.

45 *Munere enim Castrensi eramus pugnaturi;* Acta S. S. Perpetuæ et Felicitatis p. 16. et Holsten. in Notis p. 143.

46 *Boni pedis hominem* hocce nomen significat ex interpretatione Augustini Ep. 17. (al. 44.) no. 2. Erit forte נַעַם פַּעֲמִי, ut censet Sam. Petitus Miscell. L. II. c. 8. adstipulante magno Bocharto Geogr. sacr. p. m. 766.

47 Inter Augustini Epist. 16. (al. 43.) no. 2. Cf. Morcellum p. 48.

Christum abnegasset, exspiravit. Eum a Christianis, haud impedientibus Ethnicis, in carcere, custodia autem libera tenebatur, lautissime habitum fuisse, ex Tertulliano retulimus. Pergit vero Septimius: *quem ..... postremo ipso tribunalis die, luce summa, condito mero tanquam antidoto præmedicatum*[48], *ita enervastis, ut, paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur interroganti Præsidi respondere non potuerit amplius, atque ita de hoc jam exortus*, (alii et rectius extortus) *cum singultus et ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit* (alii discessit[49]; quæ haud dubie vera est lectio).

9. Hæ publicæ quidem fuerunt Christianorum calamitates: sed non unicas eas fuisse, facile intelligetur. Accessere nimirum domesticæ, etsi haud semper exitiales, ærumnarum tamen atque sollicitudinum molestissimæ causæ.

---

48 Verba: *mero condito tanquam antidoto præmedicatum, ita enervastis*, si vera refert Septimius, indicant, Christianos nonnunquam martyribus vina aromatibus narcoticis condita, quo minus dolores sentirent, atque quo fortius tormentis resisterent, subministrasse. Sic Judæis quidem in more fuit, qui ut Talmudistæ perhibent reis poculum vini medicati porrigebant (vide Wetsten. ad Marci XV. 23. et Henr. Kippingi de cruce et cruciariis exerc. X. de cruciarii potu). Et ipsi Domino in crucem acto, vinum, quod Marcus *οἶνον ἐσμυρνισμένον* dicit, porrigebatur, quod tamen recusavit. Idem hoc nostra adhuc ætate passim fit, ubi rei ducuntur. Sed Romana haud erat consuetudo; et unica saltem facti similis narratio, quantum equidem scio, in actis Martyrum occurit de Fructuoso Episcopo Tarraconensi, qui sub Valeriano vivus arsit. Huic enim, quum duceretur, Christiani *conditi permixti poculum* obtulerunt. (Ruinart Acta Martyr. p. 222. Neandri Geist des Tertullians p. 287. Ejusdem hujus poculi Fructuoso oblati meminit etiam Prudentius Peristephanῶn hymno VI. Fructuoso ejusque Diaconis, v. 55. 56. Ceterum de mero condito consule, si tanti est, quæ habet Columella in Gessneri Scriptt. Rei Rusticæ I. p. 826. nec non Palladius, mense Februar. apud eundem Tomo II. p. 77. et mense Octobri p. 139.

49 h. e. mortuus est. Sic quoque *Abscessit*, in marmore apud Gruterum p. DLXXVIII. no. 1.

Ubi enim uxor Christiana maritum habuit Ethnicum deorumque cultui addictissimum, filius Christianus filiave patrem matremque severos religionis paternæ assertores, ubi servus Christianus dominum habuit eadem mente adfectum, quæ hisce omnibus tristiora evenire potuerunt? Hisce quoque de vexationibus Christianorum domesticis queritur Tertullianus, Apolog. c. 3. *Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio isto paciscuntur, contenti injuria, dum ne domi habeant quod oderunt. Uxorem jam pudicam maritus jam non zelotypus ejecit, filium jam subjectum pater retro patiens abdicavit, servum jam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegavit: ut quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum!* Huc quoque respicit in vivida felicitatis atque concordiæ domesticæ, quum uterque conjux Christum coleret, descriptione; ad uxor. L. II. c. ult. verbis *eleemosynæ sine tormento.* Christianæ nimirum maritus ethnicus, ubi de suis rebus aliquid sibi abesse notaverat, ab uxore forte in Christianos pauperes delibatum, plerumque adeo sæviebat, ut servos uxoris torqueri juberet[50]. Neque minus ipsa cultus divini participatio mariti in uxorem iras haud raro concitabant. Testem eundem habemus Tertullianum: *ut si statio facienda est,* inquit L. II. ad uxor. c. 4. *maritus de die condicat ad balneas: si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat: si procedendum erit* (sacra frequentanda), *nunquam magis familiæ occupatio obveniat. Quis autem sinat conjugem suam visitandorum fratrum causa, vicatim aliena et quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo eximi libenter feret? Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur! Jam vero alicui fratrum ad osculum convenire, aquam sanctorum pedibus offerre, de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere, si et peregre frater adveniat, quod in aliena domo hospitium? Si cui largiendum erit, horreum, poma præclusa sunt.*

---

50 Semleri Index Latinitatis Tertullianeæ s. v. tormentum.

Deinde paucis interjectis c. 6. *Moratur ancilla Dei cum laribus alienis, et inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solennibus regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur. Et procedit de janua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum. Discumbit cum marito in sodalitiis, sæpe in cauponis, et ministrabit nonnunquam iniquis, solita quondam sanctis ministrare..... cujus manum desiderabit, de cujus poculo participabit? Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea? quæ Dei mentio? quæ Christi invocatio? ubi fomenta fidei de scripturarum interlectione? ubi spiritus refrigerium? ubi divina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata, adterendæ salutis a malo immissa.* Et sacra quidem matutina, coetus illi antelucani, ethnicis a rei Christianæ fere primordiis adeo invisi, maritorum in uxores Christianas suspiciones in Africa quoque excitasse, auctor est scriptor ethnicus Apulejus, cujus verba vix de alia quam de matrona Christiana intelligi possunt. Is enim sic habet[51]: *Tunc* (mulier) *spretis atque calcatis divinis numinibus, in vim certæ religionis, mentita sacrilega præsumtione Dei, quem prædicaret unicum, confictis observationibus vanis, fallens omnes homines, et miserum maritum decipiens, matutino mero* (vino eucharistico) *et continuo stupro corpus mancipat*[52]. Hæ igitur in Christianos calumniæ Antoninorum jam tempore, sub quibus Apulejus floruit, per Africam grassatæ sunt! Sed redeamus ad Tertullianum. Illa enim, quæ de statu ac conditione matronarum Christianarum Ethnicis nuptarum tradit, licet hostili valde in omnem cultum Deorum, quos Dæmones esse persuasum sibi habuit, animo scripta sint, tamen complura vera continent, miseramque Christianæ matronæ in domo ethnica conditionem vividissimis coloribus pingunt. Et licet mariti interdum indulgentiores essent, quod ipse Tertullianus fatetur, etsi et hoc infesto animo fieri statuit[53]; licet fieri quoque nonnunquam potuerit,

---

51 Metamorph. IX. p. 223. Elmenh.

52 Jablonskii Opuscula. IV. p. 46.

53 *Sustinent* (indulgent) *quidem, sed ut inculcent, ut illudant hujusmodi feminis, quarum arcana in periculum, quod credunt, servent, si forte lædantur, ipsi sustinent, quarum dotes, objectionem nominis, mercedem silentii faciant, sci-*

ut uxor Christiana maritum Ethnicum lucraretur (1 Corinth. VII. 16.) hoc tamen rarius evenisse putandum est, inprimis Carthagine, urbe omnibus voluptatibus libidinibusque quam maxime dedita.

2. Ut vero nulla regula sine exceptione, ita quoque aliquando uxor Christiana cum marito ethnico concordem vitam transegit. Exemplum habemus illustre Pescenniæ Quodvultdeus, (nomen hoc Christianam indicat) uxoris C. Quinctilii Marcelli[54], Proconsulis Africæ ex Morcelli sententia anno 227[55]. Cui epitaphium posuit maritus, in Museo Veronensi[56] adservatum. Ita vero habet:

PESCENNIA QVODVVLTDEVS[57]
H. M. F. BONIS NATALIBVS
NATA MATRONALITER
NVPER VXOR CASTA
MATER PIA GENVIT FILIOS
III ET FILIAS II VIXIT
ANNIS XXX VICTORINA
VIXIT ANNIS VII
SVNNIVS VIXIT ANNIS
III MARCVS VIXIT
ANNIS II MARCEL
LVS VIXIT ANNO I
FORTVNATA VIXIT ANNIS
XIII M. VIII. MARCELLVS
PROCOS CIV
SED ET FILIIS ET
FILIABVS NOSTRIS ME VI
VO MEMORIAM FECI
OMNIBVS ESSE PEREMNEM.

---

licet apud arbitrum speculatorem litigaturi. Quod pleræque non providentes, aut re excruciata, aut fide perdita, recensuerunt. ad uxor. II. c. 5.

54 Consul processit una cum Alexandro Severo Augusto anno u. c. 979. Chr. 226.

55 Pag. 91.

56 Pag. 464. no. 6.

57 Idem hoc nomen legitur in Inscriptione Græca litteris ab imperito homine cælatis, *ΚΟΒΒΟΥΛΔΕΟΥΣ*, quæ Panormi

3. Si vero matronæ puellæque Christianæ in domo ethnica tristis plerumque erat conditio, statui certe potest, longe deteriorem fuisse servorum atque ancillarum, inprimis ubi hi religionis Christianæ promovendæ studio intra ipsos domesticos parietes veritatis semina spargere, atque insciis parentibus et pædagogo puerorum animis elementa doctrinæ purioris insinuare, illave in Gynæceis docere sustinerent[58]. In servos enim per ipsas leges Romanas sævire licuit; hi ne juribus quidem personarum gavisi bestiarum instar habebantur, emebantur, vendebantur, dominorumque arbitrio in omnibus, vita unice excepta[59], obnoxii erant.

CAP. XXVII.

MARTYRES SCILLITANI.

1. In hos annos cadit Passio Martyrum Scillitanorum, quorum acta inter pauca illa prisci ævi genuina Martyrum Acta, quibus temporum injuria pepercit, servata sunt. Excepta ea fuerunt a Notariis et in acta proconsularia relata. Duo extant apographa una cum fragmento tertii, in nonnullis quidem diversa, quæ vero cardinem rei haud tangunt[1]. Africam illo tempore Proconsul rexit *Saturninus,* de quo supra jam diximus. Consulem vero habent acta prima *Claudium,* fragmentum *Claudianum,* qui erit *Tib. Claudius Severus* Cons. III. (fragm. bis Consulem dicit), una cum *C. Aufidio Victorino.* a. u. c. 953. p. Ch. 200.

---

in Musco adservatur. Torremuzza Inscr. Sicul. p. 263.

58 Hac de re locus insignis extat Celsi in libro, quem adversus Christianos edidit, ab Origene servatus, libro III. c. Celsum c. 55. ed. Ruæi Tomo I. p. 484. Spenceri p. 144.

59 Lege Petronia, ut videtur sub Augusto lata. Cf. d'Arnaud de jure servorum c. 7. Hanc legem commemorat tabula marmorea in Amphitheatro Pompejano reperta, quam edidit Michael Arditus V. C. in dissertat. La Legge Petronia illustrata col mezzo di un' antica Iscrizione rinvenuta nel Amfiteatro di Pompei. Napoli 1817.

1 Mémoires de Tillemont III. p. 57. et 289.

Scillitani dicuntur a Scillita Proconsularis provinciæ urbe[2], unde procul dubio Carthaginem deducti proconsuli oblati fuerunt. Et numero quidem fuerunt duodecim: *Speratus, Narzales, Cittinus, Donata, Secunda, Vestina, Veturius, Felix, Aquilinus, Lætantius, Januaria, Generosa;* sic nomina exhibentur in capitali proconsulis sententia, quam primum apud Ruinartum apographum exhibet, quamque sequor[3]. In his Narzalis (in al. Apographo Nazarii) nomen Poenum hominem indicare videtur. Si jam bina exemplaria horum actorum inter se comparamus, fateamur necesse est, proconsulem humaniter cum reis egisse. De delatione, apprehensione eorum et primo interrogatorio ex actis nihil constat. Captivis, qui erant Speratus, Narzales, Cittinus, una cum Donata, Secundina et Vestina, die 16 Julii magistratuum jussu coram proconsule ductis, Saturninus tempus *ad liberandum,* triginta dierum moram, obtulit, quam vero recusarunt; et quum Speratus illi dixisset (quod quidem primus codex actorum et fragmentum tertii habent), *si tranquillas præbueris aures tuas, dicam Mysterium mansuetudinis;* proconsul respondit, *dicente te de Mysterio, non inferam mala, tantum jura per Genium Regis nostri.* Quæ quidem verba mite ejus ingenium aperte produnt; quum, licet bene sciret religionem Christianam haud esse *Mysterium* eo, quo hæc vox vulgo accipiebatur, sensu[4], occasionem tamen lubens arriperet, qua a poena capitali Christianos immunes

2 Ruinarti Notæ ad Victorem Vitensem de Persecutione Vandalica p. m. 63. et 128. Dupin not. ad Collationem Carthaginiensem, in Optato Millevitano ed. Antverp. p. 275.

3 Acta hæc initio differunt ab exordio a Mabillonio edito in Analectis Vet. Tom. IV. p. 172.

4 Ipse Tertullianus Apolog. c. 7. religionem Christianam Mysteriis quodammodo componere, ut similia cum his jura postulet, videtur; *si semper latemus,* inquit, *quando proditum est quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis. Non utique, quum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur. Quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadversionem provocabant, dum divina servatur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei, et unde extraneis notitia? Quum semper etiam piæ initiationes arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt.* Similia habet ad Nat. I. c. 7.

se præstiturum sperabat. Haud enim amplius, *ut ad Deos gentilium bono animo converterentur,* postulavit: *modo,* respondit Sperato, *jura per Genium Regis nostri,* scil. Imperatoris, (descriptus enim videtur codex ex antiquiori, tempore Vandalorum, qui Reges habuerunt). Credidit forsitan proconsul, Christianos hujusmodi juramentum, quo Ethnici majorem erga homines quam erga Deos suos præstitere reverentiam[5], facilius præstituros esse, Deum suum, qui etiam Imperatoris esset dominus atque protector, subintelligendo. Plebi autem Mysterii nomine fucum facere voluit; nam per omnem Africam Mysteria, Isidis inprimis Aegyptiæ, magna religione celebrata fuisse, ex Apulejo constat. Sic enim reos, si Mysteriis quibusdam initiatos sese esse declararent, salvos atque incolumes evasuros speravit. At spes eum fefellit; hi enim unanimes et constanter se Christianos professi sunt. Itaque, ut tamen ad deliberandum aliquod tempus, (triginta enim dierum illud, quod ipsis obtulerat, recusaverant), concederetur, in carcerem ducti et *in ligno positi* fuere, ne fuga salutem quærerent. Quum autem postridie mulieres, quas, utpote debiliores, ad defectionem a religione Christiana facilius sese commoturum proconsul credidit, constanter negassent, virique eandem Christianismi professionem repetiissent, neque ullum deliberandi tempus accipere voluissent, proconsul in eos sententiam tulit secundum legem Trajani: *si deferantur et arguantur, puniendi sunt,* et capite eos plecti jussit. Qua sententia audita, Deo gratias egerunt, (qui fuit omnium fere Martyrum mos; nam martyrii corona summa erat, quam in votis habuerunt, felicitas) ducti sunt, gladioque percussi. Facta vero hæc sunt XIV. et XIII. Kalendas Augustas. Eadem sententia lata est in Veturium, Felicem, Aquilinum, Lætantium, Januarium et Generosam, antea, ut videtur, interrogatos, quorum vero acta perierunt.

2. Eorum omnium memoriam sexto decimo Kalend. Augusti celebrat Ecclesia Romana. Horum Martyrum antiquiore jam tempore meminit Victor Vitensis Persecutionis Vandalicæ Libro I. traditque, suo tempore Basilicam eorum nomini dicatam extitisse Carthagine, in qua sine dubio corpora eorum

---

5 Tertull. Apolog. c. 28. *Citius apud vos per omnes Deos quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.*

condita fuerunt. In eadem hac Augustinus Hipponensis Episcopus duobus post seculis habuit sermonem eorum in honorem (ed. Bened. Tom. 5. sermo 155) ab alio deperdito, quem refert Possidius in indiculo, c. 9. *per Natalem S. S Martyrum Scillitanorum,* Ruinarto judice, diversum. Mirari ceterum subit, horum Martyrum apud Tertullianum, qui tamen S. Perpetuam habet, nullam inveniri mentionem. Leguntur vero in vet. Kalendario Carthaginiensi ap. Ruinart. p. 694. add. XV. Kal. Augusti.

3. Nescio, an ad idem hoc tempus referendum sit factum, quod Tertullianum ad librum de corona militis anno 201. scribendum impulit[6]. Miles nimirum Christianus lauream castrensem capiti imponere noluerat, gladiumque postea reddiderat, et ob id poena adfectus fuerat, incertum tamen an capitali[7]; nam verba Tertulliani c. l. hanc haud indicant, quam, si militi inflicta fuisset, haud dubie sine ambagibus retulisset. Qua de re quum diverse sentirent Christiani, et prudentiores quidem *abruptum, præcipitem, mori cupidum hominem* vituperarent, Tertullianus, Montanista jam factus, libro, si factum in tempora Martyrum Scillitanorum cadit, paulo serius, anno nimirum 201. edito laudavit, primoque quæstionem movit, *liceatne Christiano caput corona ornare,* dein a cap. inde 11. *an in totum Christianis militia conveniat;* quas quidem quæstiones quomodo solverit, ex omni ejus sentiendi statuendique ratione facile intelligetur. Militem vero illum ante persecutionem Severi coronam respuisse probabile fit, eo quod poena capitalis ei inflicta haud expressis verbis commemoratur. Postquam enim hæc exarserat, in hujusmodi delictum certe non minori poena animadverti potuit a Legato Legionis, nisi ipse capite periclitari vellet.

---

6 Morcellus II. p. 97. hoc factum refert ad an. 237. Ea autem ætate Tertullianum adhuc in vivis fuisse, credi vix potest.

7 Sub Maximino ponit Tillemont Histoire des Empereurs III. p. 270.

CAP. XXVIII.

PERSECUTIO SEVERI.

1. Severum Augustum initio principatus sui Christianis favisse, supra ostensum est; nec facile causæ indicari poterunt, cur animum mutaverit. Turbulenta tamen forte quæ incidebant tempora[1] morosiorem eum reddiderunt, et magistratus et hostes Christiani nominis adversus eos concitabant. Accedebat forsitan et alia ratio. Chronicon enim Hieronymi ad annum Severi quintum a. u. c. 951. p. C. 198. habet verba, *Judaicum et Samariticum bellum motum,* quam tamen rem Eusebii Chronicon, e quo plurima excerpsit, ignorat. Latrones forsitan debellaverat; nam belli inter Judæos et Samaritanos exorti meminit Abulpharagius, et Claudium latronem eo tempore in Judæa fuisse, perhibet Dio Cassius. LXXV. c. 2. Triumphum quoque de Judæis Caracallæ a Senatu delatum fuisse narrat Spartianus in Severo c. 16., quem tamen prudens Imperator infra dignitatem Imperii ratus, si facilis de Judaicis catervis victoria tanti duceretur, in triumphum de Parthis commutavit[2]. Hæc igitur in causa fuisse videntur, cur, dum in Palæstina erat, teste Spartiano c. 17. *Judæos fieri sub gravi poena vetaret.* Nec injuria; nam Judæos omni tempore proselytos fecisse, notum est; et Carthagine quoque eos idem hoc tentasse, docet Tertullianus adv. Jud. c. 1. ubi de disputatione inter Christianum et Judæum proselytum habita scribit. Addit vero Spartianus: *idem de Christianis sanxit;* eo fortassis sensu, quod Christianos in posterum fieri prohiberet, iis tamen, qui jam essent, nulli poenæ obnoxiis[3]. Istud vero post decretum adversus Judæos ab Imperatore constitutum puto, quum ex plurimorum sententia persecutio adversus Christianos non ante

---

1 Moshem. Comment. de reb. Christianor. ante Const. M. p. 253.

2 Cf. opusculum nostrum: der jüdische Krieg unter den Kaisern Trajan und Hadrian p. 102.

3 Itaque hocce edictum lenius erat antiquioribus, quibus omnis religionis Christianæ professio prohibita erat, atque iis, qui jam Christiani essent, eorumque posteris in religione Christiana natis, pepercit. Cf. Neandri G. d. T. p. 95.

annum 201. aut 202. mota fuerit. Priorem, qui erat Severi nonus, habet Chronicon Alexandrinum; posteriorem autem, Severi septimum, Chronicon Eusebii. Invitus fortassis, et quasi coactus, Plautiani potissimum impulsu, qui auctoritate et gratia maxima apud eum valebat, et anno demum 203, quum insidiæ ab eo domui Augustæ structæ detectæ essent, deletus est, ad bellum Christo ejusque cultoribus indicendum movebatur. Quæ quidem persecutio inprimis Alexandriæ, ubi Leonidas, Origenis pater, occubuit, grassata est. Neque vero Africa ab hac calamitate immunis evasit; inquirebatur enim in Christianos, deferebantur a servis, a militibus extorquendæ pecuniæ causa vexabantur, a plebe in jus rapiebantur, et ipsi eorum sacri conventus turbabantur [4]. Et in Africa quoque sanguis Christianorum fluxit. Legimus enim apud Tertullianum ad Scap. c. 4. *Præsidem Legionis* [5] *et Præsidem Mauretaniæ* [6] *vexasse Christianos, sed gladio tenus.* Addit: *at a primordio mandatum est, animadverti in hujusmodi.* Et hoc quidem secundum leges Trajani. Itaque initio mitior fuit persecutio [7],

---

4 Tertull. Apolog. c. 8.

5 In Hispania. Neand. p. 247. Morcellus p. 67. Legatum Legionis Mauretanicæ intelligit.

6 Huc forte referenda sunt, quæ Ado Viennensis habet ad XII. Kal. Jan. *In Mauretania Cæsareensi natalis S. S. Timothei, Polii et Eutychii diaconorum, qui apud præfatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt.* Hosce Martyres Morcellus p. 67. ad an. 205. recenset, licet ætatem ignotam esse fateatur. In Mauretania Cæsareensi Idam v. Diddam et Novam s. Nobam Cypriani jam ætate episcopos habuisse, ex catalogo eorum c. VI. relato videre est. Itaque hos diaconos ad alterutram harum ecclesiarum pertinuisse, veri aliquam habet speciem.

7 Nescio an ad persecutionem Severi et universe ad Christianos referendum sit Rescriptum Severi et Antonini Augg. *de suspectis tutoribus et curatoribus*, quod Morcellus p. 65. suspicatur eo consilio editum esse, ut quos Christianos esse constaret, a tutela curave tanto facilius removeri possent. Dubitatum in Africa fuit, an *suspectus* apud Legatum Proconsulis postulari posset. Rescripserunt Augusti (Digest. XXVI. Tit. X. l. 4.) Braduæ Maurico Procos. Africæ: *Posse, quia mandata jurisdictione, officium ad eum totum juris dicendi transit.* Hunc Braduam Mauricum esse M. Mauricum Rufinum, Mor-

deinde vero per intervalla [8] recruduit; namque Christiani ab eodem Scapula, qui anno 211. Africam pro Consule rexit, igne torquebantur et cremabantur [9]. Hoc autem tempore Severum post necem Plautiani, veteris erga Christianos favoris memorem, hostium Christiani nominis furorem quodammodo retrinxisse credo; qui vero jam, Imperatore Eboraci die 4 Februarii ejusdem anni mortuo, et filio ejus Caracalla reipublicæ clavo admoto, haud amplius cohibebatur. Facillime sane accusationes in amicos Getæ Imperatoris a fratre inter amplexus matris occisi intentatæ ansam præbere potuerunt novis adversus Christianos sævitiis exercendis. *Pro tanta innocentia,* exclamat Tertullianus l. c. *pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur, quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot*

---

cellus ostendit, ideoque Rescriptum ad an. 204. refert. Hoc rescriptum forte occasionem dedit canoni concilii illius Carthaginiensis c. XXIV. relato, de quo Cyprianus loquitur ep. 1: *Ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret.* Sed incerta est res, quum omnia pendeant e quæstione illa, an rescriptum Severi Christianos respexerit; quod quidem Cramerus, quem hac de re par literas consului, negat, quum in provinciis, ubi præses omnium primi ordinis magistratuum urbicorum vices gerebat, quæstio illa facilius suboriri potuerit, an jus illi esset *mandandi jurisdictionem,* quæ cum *Imperio* facile confundebatur. Si igitur dubium erat, utrúm postulatio suspecti ad hoc an ad illud pertineret, non est quod miremur Imperatorem consultum fuisse. Ex verbis vero hujus legis patet, Antoninum (Caracallam) cum divo Severo respondisse. Ergo non Severi est sed Caracallæ, qui prior nominatur, et fortasse antiquius patris rescriptum repetiit. Quæ vero si ita sunt, in persecutionis Severianæ tempora haud cadit.

8 Quum Tertullianus librum de Pallio scriberet, *pacis otia erant.* c. 1. De pace qua Christiani fruebantur, intelligit quoque Noesseltus de Script. Tertull. II. p. 31.

9 In rego et in ferrea cathedra (*καθέδρᾳ σιδηρᾷ* v. *τηγάνῳ*) cui imponebantur, antequam bestiis objicerentur, ut Martyres nonnulli Lugdunenses. v. Epistolam Eccles. Viennensis et Lugdunensis ap. Euseb. H. E. Lib. V. 1-4. Routh Rel. Sacræ I. p. 282. 287. 288.

majestatis rei pati solent? Ad bestias etiam damnabantur, ut Tertullianus eodem loco de Adrumetico Mavila refert, quem Scapula hoc supplicio adfecerat[10].

2. Mirari igitur nullo modo subibit, Christianos salutem fuga quæsivisse, id quod Tertullianus libro de fuga in persecutione (quam vero pariter ac redemtionem inquisitionis[11] improbat) c. 5. tradit. Narrat enim de Rutilio, quem nihilo tamen secius *sanctissimum Martyrem* vocat, *eum totiens fugisse de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, numis redemisse, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehenso et Præsidi oblato, tormentis dissipato, dehinc ignibus dato.* Quem quidem Rutilium prorsus ignoramus. Conspicuum tamen fuisse virum oportet, quum ab hostibus ita pressus fuerit, ut non solum vitæ periculum redimeret, sed de loco quoque in locum fugeret. Nomen passim obvium est, neque tuto quæri potest in familia Rutilia plebeja[12], quum Severi ætate paucissimæ superessent familiæ Republica stante florentes. Ne Romanum quidem civem fuisse credo ob supplicii genus. Commemoratur in Martyrologio Romano ad diem 4 Non. Augusti[13].

In hac persecutione episcopi quoque, presbyteri atque diaconi sese fuga subtraxerunt (ad Scapulam c. 11.). Hanc quidem Tertullianus, antequam Montanista factus esset, haud plane damnavit. Dicit enim de patientia c. 13: *si fuga urgeat, adversus incommoda fugæ caro militat;* quæ quidem verba

---

10 Ad Scap. c. 3. anno 206. Morcellus p. 69.

11 Neand. p. 133.

12 Eckhel Doctr. Numor. Veterum V. p. 298. Rutilius hic haud memoratur Wernsdorfio in Prooemio de Rutilio Numatiano ejusque Itinerario. Poetarum Latinor. minorum Tomo V. Parte II. p. 28. ubi de claris Rutiliis agitur. Rutilium præterea Rufum habemus interlocutorem in Ciceronis libris de R. P. De eo vide A. Majum p. LXVI. ed. Moseri.

13 An. 206. vetusta Martyrologia ejus meminisse videntur XII. Kal. Martii, quanquam Rutulum potius appellant. Socios ei addunt Silvanum, Classicum, Secundinum, Fluctulum Damasum. Codex Reginæ Christinæ auget numerum: *In Africa natalis sanctorum Rutuli, Silvani et aliorum duodecim.* Morcellus p. 71. Ignota plane sunt nomina, ac incerta omnia. Sed probabile est Rutilium non solum occubuisse.

obscura lucem nanciscuntur ex iis quæ libro 1. ad uxorem c. 3. habet: *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido, quam deprehensum et distortum negare. Atqui isti beatiores, qui valent beati testimonii confessione non excidere.* Postea vero rigidiorem tulit sententiam: *Novi et pastores eorum,* Catholicorum, hæc sunt ejus verba libr. de corona c. 1. *in pace leones, in proelio cervos.* Nec excusationem admittit ipsam veniam a Christo Matth. X. 23. concessam. *Hoc enim emigrandi præceptum,* ait de fuga c. 6.[14] *solis Apostolis datum esse* (Matth. X. 25.), *quamdiu in Judæa evangelii fundandi causa essent victuri.* In sui vero temporis Christianos, inprimis Afros, sic invehitur (de corona 1.) *Mussitant scripturas: emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem. Nullam enim aliam Evangelii* (Matth. l. c.) *memoriam curant.* Longe vero mitius post Tertullianum statuerunt Cyprianus et Commodianus. Prior, quod omnes norunt, ipse se fuga subduxit, et libro de lapsis p. 122. *secundum ad gloriam gradum* dixit, *cauta secessione subtractum Domino reservare.* Sic quoque Commodianus Instructione 50.

Transfluviat hostis: Tu sub latebra conde:
Aut si intrare potest, si necne, ne cessa.
Undique te redde tutum, tuosque; vicisti.
Res infamis erit, si quis se propalat hosti.
Et vigilanter age, ne quis incurrat in illa!

Svadet igitur in persecutione fugam aut latebras. Omnino vetat, ne quis incurrat, ne quis se offerat; denique ait *Christianum, qui se hosti propalat, esse sui ipsius proditorem*[15].

3. Præter hos, qui fuga suæ saluti consulebant, alii pecunia magistratibus militibusque soluta persecutionis pericula redimebant[16]; neque singuli tantum-

---

14 Hunc Tertulliani librum de fuga ex Noesselti sententia (II. p. 7.) anno 202 scriptum, Morcellus p. 96. ad extrema ejus rejicit, et editum putat anno 236. Per quatuor capita 6-9. fugam magnopere improbat.

15 Sic Schurzfleischius in editione Commodiani hunc locum paulo obscuriorem explicat. Eum sequitur Davisius.

16 Ad Scapulam c. 12.

modo, sed integri quoque coetus, quam quidem rem quam indigne tulerit Tertullianus, ex libri de fuga c. 13. videre est[17]. Ærario autem publico augendo hasce pecunias ab Imperatoribus nunquam destinatas fuisse, sed privatos tantummodo homines ditasse, Tertullianus haud sine aliqua admiratione asserit[18]. Ii vero, qui remanebant, si imprudentia forte propinquorum[19] aliisve

---

17 Locus est obscurus, aliam vero haud admittit interpretationem. *Sed quid non timiditas persuadebit, quasi et fugere scriptura permittat et redimere præcipiat. Parum denique, si unus aut alius ita eruitur. Massaliter* (ↄ: simul et pro omnibus) *totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt* (concussores nostri). *Nescio, dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum et curiosorum, inter tabernarios et lanios et fures balnearum et aleones et lenones, Christiani quoque vectigales continentur. Hanc episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi. Scilicet enim talem pacem Christus ad patrem regrediens mandavit a militibus per Saturnalitia redimendam.* Beneficiarii dicebantur milites beneficio principis ad officia s. ministeria certa adsumti. Ex eorum schola erant Curiosi v. Stationarii cursus publici curæ præpositi, per stationes dispositi, quibus Codicis de curiosis lex I injungit: *ut crimina judicibus nuncianda meminerint;* qui igitur persecutionum tempore Christianos quoque quæsiverunt, eos deferebant, tribunalibusque sistebant. Hæc vero officia in prævaricationes et rapinas degeneravere. Beneficiarii enim et Curiosi, pensionibus annuis v. menstruis corrupti, tabernariorum, furum etc. scelera dissimulabant, ita ut domi servarent matriculas turpium hujusmodi pactionum. His tandem Christiani, ut securitati suæ consulerent, decori et honestatis immemores, pecunias pactis pensionibus, quas Tertullianus *Vectigalia* vocat, numerare coeperunt. Cf. Indicem Latinitatis Tertullianeæ, Ed. Semleri Tomo VI. sub verbo *Curiosi* p. 366.

18 De fuga c. 12. *Tanta quotidie ærario* (Imperatoris) *augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum et sub aliquam redemptionem capitis est sectæ redigendis, quum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset.*

19 Inter Christianos ipsos eo tempore fuisse traditores, affinesque ipsos extitisse, qui fratres, parentes filiosque accusarent, neutiquam inducor ut mihi persuadeam. Extant tamen in Tertulliani Scorpiaces c. 9. et 10. loci, qui

de causis Ethnicis suspecti, vel a delatoribus accusati essent, in carcerem conjecti sunt; hos vero non ab omni cum fratribus commercio cohibitos legimus. Christianis nimirum eos visitare, iisque humanitatis et benevolentiæ officia præstare licuit, ut Tertullianus libro II. ad uxorem, cujus tamen annus dubius est), c. 4. perhibet: et Lapsi ab iis literas pacis exoraverunt atque impetrarunt. *Hos moechos et fornicatores statim ambire, nec ullos magis aditum carceris redimere, quam qui ecclesiam perdiderunt,* ait Tertullianus de pudicitia c. 22. Quæ quidem verba, licet tempus, quo istud opusculum ediderit, incertum sit, ad Severi tamen hanc persecutionem refero. Stipes porro a Christianis ad alendos eos, qui exulaverant, collecti sunt (de fuga c.13. 14. Apologet. c.39.[20]). In hac autem persecutione eadem Montanistarum ac Catholicorum fuit calamitas. Montanistas enim martyrium minime vitasse, constat ex eorum historia, quæ testatur eos Martyribus, de quibus gloriati sunt[21], abundasse. Eosque in Africa quoque vexatos fuisse, e libro de fuga a Tertulliano, Montanista jam facto, circa ista tempora, anno nimirum 202 composito, abunde patet[22].

4. Ad Gnosticos vero quod attinet, erant quoque in hisce sectis, qui sese persecutionibus subducerent. Hi enim fidei mysterium coram oculis profanorum hominum haud esse declarandum rati, Deum in spiritu et veritate adorandum, neque cæremoniis externis tantum momentum concedendum esse docuere, itaque haud esse opus ut mortem pro Christo ejus cultores subirent. Semel enim Christum pro nobis mortuum esse, ut a morte nos liberaret, neque a nobis retributionem illum poscere, ut pro eo vicissim nos morti devoveamus. Hi igitur, Ethnicorum cultum simulantes, ab omni persecutione immunes fuisse

---

huc trahi possint. Hujusmodi enim flagitia commemorat a Christo Matth. X. 21. prædicta. Attamen ea Carthagine patrata esse, nullo verbo significat, id quod certe haud omissurus fuisset, si cognovisset. Probabilior igitur videtur Episcopi Lincolnensis sententia p. 40. eum de talibus criminibus loqui, quia secundum vaticinium Domini necesse erat, ut alicubi committerentur.

20 Cf. Zieglerum in Horreo Henkiano X. p. 33.

21 Moshemius de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 424.

22 v. c. cap. 3.

videntur. Nec unice in Africa. Nam licet et Gnosticæ sectæ, v. c. Marcionitæ habuerint Martyres, aliæ tamen, ut de Basilidianis notatum est[23], omne Martyrium repudiarunt. Contra hujusmodi vero homines Tertullianus anno 204 media persecutione librum edidit Scorpiace inscriptum, in quo omnes eorum argutias refutavit[24].

5. Verum enimvero non solum in Christianorum personas sævitum fuit, sed in res quoque eorum sacras. Hoc enim Ethnicos haud diu latere potuit, eos cum reliquis civibus communi sepultura haud uti, sed in propriis coemeteriis, quæ Areas vocabant, cadavera vita functorum sepelire. Inde Hilariano Procuratori, qui loco Minucii Timiniani Proconsulis defuncti [25] jus gladii acceperat, teste Tertulliano, populus haud dubie in ludo quodam edito acclamavit: *Areæ non sint*[26], cui quidem voci Præses cessit[27]. De ecclesiis, quæ haud dubie ea adhuc tempestate Gentilibus ignotæ erant, Christianis ademtis nil me legere memini.

6. Ex omnibus autem colligere licet, haud omnes magistratus humanitatis leges violasse, eosque, si Scapulam, qui iniquior fuit, excipiamus, secundum decreta Trajani tantummodo egisse. Horum jam catalogum ex Tertulliani libro ad Scapulam texemus, additurí, si qua in scriptoribus et monumentis de iis relata habentur. Verbis vero utemur ipsissimis Tertulliani, qui ad Scapulam capite 4 ita: *Quanti autem præsides et constantiores et crudeliores dissimulaverunt ab hujusmodi causis? Ut Cincius Severus, qui Thistri* (Africæ Proconsularis urbe) *ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent; ut Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum civibus suis satisfacere, dimisit: ut Asper, qui modice vexatum hominem, et statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et adsessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam*

---

23 Kirchliche Alterth. der Gnostiker p. 49.

24 Neand. G. d. T. p. 138. et Episc. Lincoln. p. 151. sequ.

25 Hunc fasti omittunt. Morcellus p. 54. Notus est ex actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis.

26 Cap. 3.

27 Ad Scapulam c. 3. Præses appellatur; in actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis Judex audit.

missum ad se Christianum cum elogio, concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem secundum mandata. Hæc omnia tibi et de officio suggeri possunt, et ab iisdem advocatis, qui ipsi beneficia habent Christianorum, licet adclament quæ volunt.

Plura in hisce Tertulliani verbis occurrunt paulo difficiliora; nam neque magistratuum officia indicata sunt, neque temporum ordo accurate observatus videtur. Quod enim ad primum attinet, in hisce nominibus haud discernere licet inter Proconsules [28] et Procuratores Cæsaris vel Præsides. Illi provinciam Senatus nomine rexerunt, quippe quod Africa in divisione provinciarum ab Augusto facta populo evenerat, excepto tamen deinceps regno Ptolemæi, post hujus necem ab Imperatoribus administrato, quia omnes novæ accessiones Cæsari regendæ tradebantur. Complectebatur autem magnam Mauretaniæ partem cum Numidia[29]. Hi vero in provincias Cæsari reservatas interdum etiam cum imperio civili missi sunt, et a Claudio omne jus acceperunt [30]; licet proprium eorum officium esset, reditus Imperatoris percipere. Accessit denique tertium officii genus, quod cum legati proprætorii legionis illius quæ in Africa militabat [31], quibus a Caji inde tempore imperium militare tributum erat, tum præsides legionis Mauretanicæ exercuerunt. Temporum præterea ordinem Tertullianus haud observasse videtur, quum in his quos recenset magistratibus Pudens et Vespronius Candidus reliquis fuisse videantur antiquiores. Hoc enim ex eorum nominibus cum fastis Consularibus comparatis colligere est, licet fasti, inprimis illorum temporum, magnis premantur obscuritatibus, et Consules suffectos raro

---

28 Africæ atque Asiæ præsides solos proprie Proconsules dictos esse, ut Consulatu functos, statuit Eckhelius D. Num. Vet. IV. p. 251. contra Fabricium, qui ad Dionem LIII. 15. omnes præfectos provinciarum, quas Augustus populo reliquisset, communi Proconsulum nomine, etiam qui pro Prætore essent, venisse notaverat. Vide quoque p. 240.

29 Dio Cassius LIX. c. 20.

30 Taciti Annal. XII. 60. Sveton. Claud. c. 12.

31 Una erat Tiberio Imperatore. Crevier Histoire des Empereurs II. p. 355. 406. 417. Duas vero, Primam et Tertiam, habent numi a Clodio Macro signati, quarum una tamen fortasse erat Mauretanica. Eckhel D. N. Vet. VI. p. 288.

admodum exhibeant, ita ut neutiquam sit mirum, si Proconsulum Africæ nomina in iisdem frustra quærantur, quanquam ad Asiam Africamque regendam Consulares semper eligebantur [32], reliquas vero provincias Prætoriis quoque viris administrare licebat. Denique, quum Proconsulatus in Africa plerumque esset annuus [33], fieri facile potuit, ut nomina nulla celebritate florentia exciderent, nec justum ordinem fida memoria servarent, qui hac de re scriberent.

7. Hisce in prævium observatis, videbimus jam de singulis eo, quo a Tertulliano recensentur, ordine, si qua in scriptoribus vel lapidibus occurrant eorum nomina illustratura.

Cincium Severum habent Lampridius in Commodo c. 20., ubi Cingius Severus vocatur; et Spartianus in Severo, qui eum a Severo accusatum fuisse, quod se veneno appetiisset, ideoque interfectum perhibet, inter annos 202. et 208., ut Dodwellus censet [34].

Vespronium Candidum Veterem Consularem appellat Spartianus. Hic legationem obiit a Didio Juliano ad exercitum Severi. Loco cognominis *Vetus* ponendum forsitan erit *Verus*. Legimus enim Vespronium Candidum Verum Consulem cum Commodo processisse a. u. c. 932. Chr. 179 [35]. De hoc itaque conjicere posset aliquis, eum Africam post Consulatum rexisse, et quidem ante Cincium Severum, Marco vel Commodo Augustis. Incerta tamen conjectura, quia Proconsules et Prætores haud statim ab abdicato magistratu, sed nonnisi quinquennio post, Provincias adire solebant; quod quidem Augustus sapienti consilio sanxerat [36].

---

32 Crevier l. c. I. p. 49.

33 Ibid. II. p. 355. 357. 359. De annuo quoque proconsulatu intelligo verba Apuleji Florid. p. 347. Quid nobis cum istis Proconsulum vicibus? quid cum annis brevibus et festinantibus mensibus? Ita quidem decreto Augusti (Dio Cass. Lib. LIII. c. 13. p. 705. Reimar.) erat constitutum. Attamen Proconsulatus interdum prorogabatur. Galbam enim, qui Neroni in Imperio successit, sub Claudio per biennium Proconsulem Africæ fuisse legimus. Crevier. IV. p. 479. 486. aliosque diutius v. c. Gordianum, qui in Africa per quinquennium cum imperio fuit, antequam purpuram sumeret. Cf. Morcellum II. p. 73.

34 De paucitate Martyrum p. 70. Tillemont Mémoires III. p. 56.

35 Almeloveeni Fasti Consulares p. 141.

36 Crevier Hist. des Empereurs I. p. 50.

Hic Christianum dimisit, quasi tumultuosum h. e. in republica bene administrata haud admittendum esset facinus, civibus, mortem ejus haud dubie postulantibus, contra leges optimorum principum satisfacere. Quæ quidem Marci tempora indicare videntur.

Aspros habemus duo Consules a. u. c. 965. p. Chr. 212. *M. Pompejum*, v. secundum alios *C. Jul. Asprum* et *P. Asprum;* ut proinde, si eorum alter Africæ fuerit Proconsul, ejus magistratus in extrema Caracallæ incurrere debuisset; quod vero quum chronologiæ parum conveniat, crediderim eum ante Consulatum in Africa jam fuisse. Invenio enim in lapidibus veteribus IVL. ASPRVM QVAESTOREM PROV. AFRICAE[37]. Forsan igitur e mandato Proconsulis aliquando accusationes contra Christianos audivit, sententiamque tulit. Et hic quoque se mitem erga eos exhibuit. Christianum modice tortum ad sacrificium faciendum haud compulit, dolens se in hanc causam incidisse. Haud tamen refragabor, si quis patrem horum Asprorum a Tertulliano indicatum putet, a Caracalla ignominiose patrios lares colere jussum[38]. Quod si hic erit, in Africa eum fuisse oportet ante Consulatum, quem initio Caracallæ gessit[39].

Pudens, illustre nomen, si idem fuit cum *Servilio Pudente*, qui sub Marco bis Consul processit a. u. c. 918. p. Chr. 165., et sequenti. Hic utique sub Marco vel sub Commodo Africam rexisse potuit; neque caret veri specie, virum ita clarum, ut bis, duobus nimirum annis sese excipientibus, amplissimum

---

37 Marini Atti dei Fratelli Arvali p. 780. 784. 785. et Norisii anni et epochæ Syromacedon. p. 184. 285. Hinc igitur patet, provinciam Africæ semper mansisse provinciam populi; nam in provincias Cæsaris omnino Quæstores non mittebantur, ut docet Gajus Comment. Institut. I. 6. Alium Provinciæ Africæ Quæstorem laudat marmor quod Susæ extat. L. TERENTIO AQVILAE GRATTIANO QVAESTORI PROVINCIAE AFRICAE AMICI OB PAREM IN VNIVERSOS ATQVE TALEM (malim AEQVITATEM) ET PROPRIVM IN SINGVLOS HONOREM. Ex schedis Andr. Christiani Gjerlew, Viri amicissimi, qui ante paucos annos *Consulis Danici* apud Tunetanos munere functus est.

38 Cf. Tillemont Histoire des Empereurs III. p. 114. et Crevier Histoire des Empereurs IX. p. 292.

39 Consulem processisse a u. c. 965. Chr. 212. docent Almeloveeni Fasti Conss. Marinius p. 784.

magistratum gesserit, e maximis quoque unam, brevi postquam duplici Consulatu abiisset, sortitum fuisse provinciam. Hic ne inquirere quidem voluit in Christianum sibi cum elogio missum. Compertum enim habuit ex elogio, Christianum hunc minis ad confitendum adactum fuisse [40]. Scisso elogio dimisit hominem, negavitque secundum mandata, se eum auditurum. Hunc quidem inter omnes Africæ præsides, quos Tertullianus recenset, ordine fuisse primum confidenter assererem, nisi obstarent ultima ejusdem verba, quibus ad testimonia provocat Advocatorum, qui causam Christianorum egerant: quæ quidem si de facto Pudentis intelligenda sunt, tempora persecutioni illi, quæ tum exarserat, propiora indicare videntur.

Ex hoc igitur loco discimus, Christianis accusatis datos fuisse *Advocatos;* quod quidem beneficium, utrum in sola Africa, an ubique per Imperium Romanum, iis concessum fuerit, ignoro. Attamen eos, etsi vellent, haud semper integra dicendi libertate frui potuisse, colligere est ex verbis Apologetici c. 2. *Sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum* [41]. Facile tamen concedetur, diversa fuisse hæc pro ratione temporum, atque magistratuum ingenio et indulgentia vel severitate. Ex verbis porro Septimii patet, ipsos hosce Advocatos, *qui beneficia habuerunt Christianorum*, h. e. eorum causam defendendam, vel libenter, vel Præsidis jussu, in se susceperunt, diverso erga eos adfectos fuisse animo. Nam hostilem interdum, forsitan sæpius, animum indicant ultima ejus verba: *licet adclament quæ volunt.*

Ultimus denique qui nobis innotuit Africæ Proconsul florente Tertulliano, ad quem ipse Doctor Afer apologeticum pro Christianis dedit librum, est *Scapula.* *Scapulam Tertullum* habemus Consulem cum T. Flavio Clemente a. u. c. 948. post Christum 195. apud Pagium Critic. Baron. I. p. 184. Hunc Africæ Proconsulem Morcellus Q. Flavium Scapulam Tertullum vocat [42]. Huc fere ea

---

40 *Concussione ejus intellecta* sunt verba Tertulliani ad Scapulam c. 4. Cf. Neandri Kirchengeschichte. I. p. 149.

41 Cf. Neandrum G. d. T. p. 60. Excusationem habebant magistratus, quum religio Christiana a legibus religionibus illicitis adnumerata fuerit.

42 Pag. 69.

redeunt quæ de Magistratibus illo tempore Provinciæ Africæ præfectis ex antiquitate erui possunt. Paucas hucusque Inscriptiones protulit desolatum Carthaginis solum, et desunt hac periodo numi in istis regionibus cusi. Vix igitur sperandum est, hasce tenebras unquam pulsum iri.

8. Quum igitur ordo chronologicus restitui nequeat, de tempore, quo singuli qui commemorantur Martyres pro religione occubuerint, nil certi statuere licet. Multos habet Martyrologium Romanum vel Carthagine vel in Africa passos, sine nota temporis; sæpe ne Imperatores quidem indicantur. Equidem non is sum, qui omnem Martyrologio Romano, utpote quod magnam partem ex vetustis Kalendariis conflatum est, fidem denegem; at ubi tantum nomina exhibentur, nihil ad lacunas historiæ explendas conferunt. Idem hoc statuendum est de veteri Kalendario Carthaginiensi apud Ruinartum[43]. In Augustini sermonibus laudantur quoque Martyres, et in his *Thuburbitanæ,* quæ licet a multis et ab ipso Doctore Hipponensi pro Perpetua et Felicitate habeantur, quas una cum sociis Thuburbii passas esse statuunt[44], haud tamen dubie sunt alii cum hisce permutati, quorum vero memoria interiit. Legimus autem in Kalendario Carthaginiensi ad 3 Kalendas Augusti: *Memoria Sanctarum Thuburbitanarum et Septimiæ,* quam quoque ignoramus. Huc etiam refer ea, quæ habet Cyprianus de lapsis p. 127. de *Casto et Aemilio,* quibus *Dominum aliquando ignovisse* dicit, id est, qui apostasiæ veniam Martyrio adepti erant[45]. Hi in prima acie succubuisse videntur, deinceps for-

---

43 Hocce Kalendarium erutum fuit a Mabillonio ex veteribus membranis pene corrosis Monasterii Cluniacensis, et cum Ruinarto communicatum, qui in Actis Martyrum p. 692. edidit. Scriptum videtur initio persecutionis Vandalicæ.

44 Sermone 345. Tomo V. editionis Maurin. Sed in codice, ex quo exscriptus est, loco *Tuburbitanarum* legitur *Suburbitanarum.* Incertum igitur est Doctoris Hipponensis testimonium; lectio enim codicis indicare poterit aliquod magnæ Carthaginis suburbium. Ceterum consule Ruinartum in actis Martyrum p. 82. §. 30. ab initio, et Morcellum p. 57. et 58. qui Perpetuam ejusque socios fuisse statuit.

45 De lapsis p. 127. Excusationes affert eorum, qui coacti a Christo defecerunt; deinde pergit: *potest cito ad veniam proficere causa talis; potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. Sic hic*

tiores facti Christum morte sua confessi sunt: vivi enim arserunt. Quum vero Cyprianus scribat, Dominum *aliquando* Aemilio et Casto ignovisse, indicare videtur eos jam pridem occubuisse ante Decianam, in qua scripsit, persecutionem; forte igitur ad Martyres Severianæ pertinebant. Eorum memoria clara fuit in Ecclesia Africana, et Augustini adhuc tempore celebrata, qui in Sermone eorum lapsum abrenunciationi Petri componit[46]; et hodieque ad antiquorum Kalendariorum fidem[47], quæ eos in Africa passos perhibent, celebratur XI Kal. Junias[48]. Aliam Martyrem Proconsule Rufino[49]; Consulibus vero Plautiano et Geta, anno u. c. 956. p. Chr. 203 passam, *Gudenen* nomine, quod vero ex *Gaudentia* corruptum esse videtur, perhibent[50]. Passa dicitur cum aliis nonnullis die 26 Junii, post diuturnos cruciatus longamque captivitatem, gladio denique percussa[51]. Augustinus post duo secula memoriam ejus Carthagine celebravit[52]. In Cypriani denique epist. 39. habemus Celerinum lectorem ab Episcopo ordinatum, cujus *avia Celerina jam pridem martyrio coronata est; item patruus ejus et avunculus Laurentius et Ignatius, in castris et ipsi quondam secularibus militantes ...... palmas domini et coronas illustri passione meruerunt.* Quæ quum *jam pridem* accidisse tradat Cyprianus, deque *avia* Celerina loquatur, ad hæc tempora referenda videntur. Horum omnium

(intelligo heic, nimirum Carthagine), *Casto et Aemilio aliquando Dominus ignovit; sic in prima congressione devictos victores in secundo proelio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent; et unde superati essent, inde superarent.*

46 Sermo 285. ed. Maurin. Tom. V. p. 1145.

47 Kal. Carthag. ad XI Kal. Jun. apud Ruinart. p. 693. In Martyrologio Bedæ et aliorum legitur eadem die: *In Africa Casti et Aemilii, qui per ignem passionis Martyrium comsummaverunt.*

48 Morcell. p. 64. passos esse conjicit anno 204.

49 M. Mauricus Rufinus mortuo Minucio Timiniano hanc provinciam adiit anno 203, Hilariano eam usque ad ejus adventum administrante. Cf. Morcellum p. 58. et 65.

50 Acta perierunt. Martyrium narratur ab Adone Viennensi, Morcell. p. 63.

51 Quater torta, ungulisque ferreis dilaniata dicitur, antequam gladio percuteretur.

52 Serm. 294. ed. Maur. V. p. 1183.

mentionem facit Martyrol. Rom. ad III Non. Februar[53]. Memoriam eorum Cyprianus quotannis celebravit, et Augustini exstat Sermo 48. in honorem Celerinæ habitus Carthagine in æde hujus nomini dicata, cujus meminit Victor Vitensis, a Vandalis deinde occupata[54].

9. Magnos jam illa ætate Martyribus atque Confessoribus exhibitos fuisse in Africanis, uti quoque in reliquis, ecclesiis honores, omnis antiquitas testatur. Qua veneratione Tertullianus eos habuerit, indicant exordium libri ad martyres et c. 35. libri de anima anno fere 205. conscripti. Magnam eorum in altera vita futuram esse felicitatem docet[55]; attamen de desiderio martyrii caute ac prudenter judicat. *Ergo inquitis*, sunt ejus verba Apolog. c. 50. *cur querimini, quod vos insequamur, si pati vultis...... plane volumus pati; verum eo more, quo et bellum nemo quidem libens patitur, quum et trepidare et periclitari sit necesse: tamen et præliatur omnibus viribus, et vincens in proelio gaudet, qui de prælio querebatur, quia et gloriam consequitur et prædam.*

A Confessoribus libelli pacis petebantur et impetrabantur, qui lapsis ad veniam et reconciliationem obtinendam viam munirent[56]. Unde postea gravissimi orti sunt abusus. *Pro Martyribus sacrificia semper* (scil. precum) *offerebantur, quoties Afri Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebrabant.* Hæc Cyprianus de Celerina, Laurentio et Ignatio ep. 39.

---

53 Acta Sanctorum ad h. d. Tillem. H. Emp. p. 103. et Mémoires III. p. 174. Morcell. p. 64. refert ad an. 204.

54 De persec. Vandalica I. c. 4. Cum Scillitanis Martyribus eam confudisse videtur; dicit enim: *Basilicam majorem, ubi corpora sanctorum Martyrum Perpetuæ atque Felicitatis sepulta sunt, CELERINÆ VEL SCILLITANORUM, et alias, quas non destruxerant* (Vandali), *suæ religionis licentia tyrannica manciparunt.*

55 *Nemo enim peregrinatus a corpore, statim immoratur penes dominum, nisi ex martyri prærogativa, paradiso scilicet, non inferis deversurus.* De resurr. carnis c. 43. Vide quoque Scorpiac. c. 12. De patientia c. 13.

56 Tertullianus de pudicitia c. 22. ad martyres c. 1. Schelstrate Eccles. Africana c. 4. p. 83. Boehmeri Dissert. I. E. p. 160. 182. Ortus forte hic abusus est in ipsa Africa.

Hi dies annui *Martyrum natalitia* appellabantur, voce a Gentilium festis, qui *natalitia Cæsarum et Impp.* agebant, ad sacra Christianorum translata. Occurrit hoc nomen apud Tertullianum de corona mil. c. 3. de *oblationibus pro defunctis annua die. Areæ,* quæ quoque *martyria, coemeteria, mensæ, v. memoriæ martyrum* vocabantur, sæpe occurrunt [57]. Celebris est mensa Cypriani. Nunquam vero *preces* ad Martyres dirigebantur, uno Deo semper invocato.

10. Denique ipsis Christianorum persecutionibus nihil effectum. Christiani enim animum minime desponderi passi sunt: ii qui timore doloribusque ad deficiendum coacti fuerunt, mox, cessante vel languescente persecutione, humillimis precibus reconciliationem petebant, multique, constantia Martyrum moti, e persecutoribus Christiani sunt facti. Hinc Tertullianus ad Scapulam c. ult. *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.* Et Apologetici c. 50. *plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis* (editt. habent sanguinis) *Christianorum* [58]. Quæ quoque Acta S. S. Perpetuæ et Felicitatis testantur.

---

57 Leidekker S. 3, 2. et Knittelii prisca ruris ecclesia p. 72. 73. ubi loci Augustini excitantur.

58 Locos Patrum idem hoc testantes collegit Kortholtus ad Epistolam Plinii junioris de Christianis p. 167.

CAP. XXIX.

PASSIO S. S. PERPETUÆ ET FELICITATIS ATQVE SOCIORUM.

1. Thuburbii, oppido Africæ proconsularis, passas eas esse, nonnulli existimant[1]. Sic ex Sirmondi sententia Augustinus Sermone 22. Chronicon Hieronymi, vetus Martyrologium Romanum, aliique, quibus forte accensendum quoque est vetus Kalendarium Carthaginiense apud Ruinartum, quod, Perpetuæ et Felicitatis nominibus omissis, tantum ad III Kal. Aug. habet: *Sanctas Thuburbitanas et Septimiam.* Alii vero bene multi Carthagine passas asserunt, et hoc quidem mea sententia optimo jure. Nam Carthagine erat tribunal summorum magistratuum, Carthagine castrum militum Legionariorum; ibi quoque Amphitheatrum, ibique ludi solennes edebantur, denique Carthagine sepulti fuerunt hi Martyres. Thuburbitanas vero Augustini esse Maximam, Donatillam et Secundam, sub Valeriano et Gallieno passas III Kal. Apr. quas quoque habet Kalendarium Carthaginiense, Valesii fuit sententia [2].

2. Occasionem dedit Natalis Getæ Cæsaris, anni 202, quo die ante quinque annos Cæsar fuerat renunciatus. Illo tempore *Hilarianus* erat Cæsaris in Africa Procurator. Hic enim post mortem Proconsulis *Minucii Timiniani* et ante adventum *Maurici Rufini* jus gladii acceperat. Natalem vero Getæ Cæsaris indicant ipsa acta[3]. In munere castrensi h. e. ludis, qui militum nomine populo Carthaginiensi exhibebantur[4], quibusque præsidebat Hilarianus, Christiani bestiis objiciendi erant; quare apprehensi fuerunt Catechumeni, Revocatus et Felicitas conserva ejus atque Secundulus, hic quoque servilis conditionis: præter vero hos Ubia Perpetua, honesta liberaliter instituta matrona, annos viginti duo nata. Habuit filium ad ubera, et tota ejus familia, excepto patre, Christo nomen dederat. Felicitas prægnans erat octo mensium, quapropter supplicium ejus secundum Hadriani leges, quarumque similes a prisco inde

---

1 Mem. de Tillemont III. p. 291. Vide quoque supra p. 204.

2 Præfat. ad Passionem S. S. Perpetuæ et Felicitatis p. 3. 4. Vide quoque Tillemont Mem. III. p. 293.

3 Apud Ruinart. p. 89. et 93.

4 Tillemont. Mém. III. p. 293.

tempore Aegyptii, Athenienses aliique veteres populi habuerant, differebatur post partum: peperit vero ante diem ludorum. Ex visionibus, quibus recreatam se sensit Perpetua, valde fit verosimile, eam sociosque Montanismo fuisse addictos[6]. Hujus sane Martyrii acta (genuina, si quæ unquam), quæ Pontius, auctor vitæ S. Cypriani, cognovisse videtur[7], non sine tenerrimo animi sensu atque commotione legi possunt[8]. A nupero partu debilis, a marito, qui ipse Christianus fuisse videtur, derelicta (nam ne verbo quidem nominatur), in ipso carcere baptizata, firma et immobilis precibus patris ad pedes ejus obvoluti resistit, seque constanti animo Christianam profitetur: reliqui quoque constantiæ et fortitudinis laude cumulati fuere. Felicitas, partu felix, læta martyrium subit. In carcere, qui erat Castrensis, Amphitheatro vicinus, quo transferebantur, *præter consuetudinem castigutius tractabantur, in nervis tenebantur; deinde tamen melius habiti, fratribusque facultas facta introeundi et refrigerandi cum eis,* haud dubie intercessione Christianorum Carthaginiensium, quum duos hujus ecclesiæ diaconos, Tertium et Pomponium, iis ministrasse legamus. *Pridie quam paterentur administrata iis fuit* COENA LIBERA[9], quam in agapam

6 Eorum Orthodoxiam adversus Basnagium vindicare minus feliciter studuit Joh. Augustinus Cardinalis Orsi Dissertatione Apolog. p. 145. nota 47. citata.

7 Huc enim spectant verba ejus in initio vitæ S. Cypriani, ed. Felli p. 1. *Majores nostri, Plebejis et Catechumenis Martyrum consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut prope dixerim pene cuncta, conscripserint, ut ad nostrum quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Cf. quoque Orsi Dissertat. Apologet. p. 20. et Holsten. in Notis ad passionem S. Perpet. et Felicitatis §. 11. vers. 1.

8 Plura horum Actorum extant manuscripta nonnihil diversa. Duo adservabantur Parisiis in Bibl. Monasterii S. Victoris, aliud Holstenius in Bibl. Montis Casini invenit. Neque desunt exemplaria in Bibliothecis per Galliam, Angliam, Germaniamque. Visiones suas ipsa Perpetua atque Saturus scripserunt. Interrogatoria et historia Passionis a notariis Christianis et oculatis testibus calamo excepta, et ab incerto scriptore Christiano, uno aut pluribus, in unum congesta videntur. De Tertulliano, num auctor habendus sit, infra videbimus.

9 Hanc liberam coenam commemorat quoque Tertullianus Apologet. c. 42:

converterunt. In ipso amphitheatro flagellis, postulante populo, cædebantur. Habitum Deorum induere debebant; viri quidem (nam Perpetua et Felicitas complures passionis habebant socios) sacerdotum Saturni, mulieres Sacratarum Cereris, ut sic Diis consecrarentur. Sed deprecationem admisit qui supplicio præfuit. Reticulis tamen involutæ bestiis objiciebantur: mulieres vaccæ feroci, Revocatus leopardo, Saturus apro[10 11]. Populus vero, ubi sanguinem Martyrum e vulneribus scaturientem animadvertit, ferociter exclamavit: *Salvum lotum.* Itaque gentilibus jam tum nota erat intima Christianorum *de baptismo sanguinis ejusque salutari effectu persuasio.* Quicunque a bestiis tracti, morsuque vulnerati erant, ad jugulationem prosternebantur loco solito, in Spoliario. Præter hos commemorantur in Actis tres alii Christiani, Jocundus, Saturninus et Artaxias, qui eadem in persecutione vivi arserunt[12]. Hæc omnia suppliciorum genera

---

Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam coenantibus mos est. Cf. quoque Cramerum ad commentarios vetustos in Juvenalem p. 425. et Lydium in Agonistica sacra p. 69.

10 Sic Bladina, reticulo inclusa tauro objecta est, diuque in altum jactata. Epistola Ecclesiar. Viennensis et Lugd. ab Eusebio H. E. LV. c. 4. sequ. relata, ap. Routh Rel. Sacræ I. p. 288.

11 Quanta in Africa fuerit ferarum copia, vel ex eo patet, quod in ludis circensibus, quos Cajus Imperator Romæ an. 37. edidit, 500 ursi aliæque multæ bestiæ ex Africa accitæ telis sagittisque conficiebantur. Urso quoque objectum fuisse Saturum, in Actis legimus. Hos quidem in Africa Plinius negavit: at poetæ habent *Libystidem ursam*, et *Libycos ursos.* Vide Salmas. Plinian. Exercitat. p. 311. et Holstenium in Notis ad Acta p. 174. Raros tamen esse ursos nigros in montibus Africæ septentrionalis, docent Illigerus in Überblick der Säugthiere nach ihrer Vertheilung über die Welttheile, et Schreber Säugthiere III. p. 505.

12 Martyrologium Romanum ad V Idus Januarii habet: *In Africa S. S. Martyrum Epicteti, Jocundi, Secundi, Vitalis, Felicis, et aliorum septem.* Martyrologium in Bibliotheca Reginæ Christinæ addit post Jocundi nomen: *Quinti cum aliis decem*, sed omittit Secundum, Vitalem et Felicem. Hos illos esse Martyres putat Holstenius, quos S. Perpetuam in visione paradisi vidisse Acta testantur, quamvis Epicteti nomen in iis diserte non legatur. Holstenii Animadversa ad Martyrologium Romanum, in ed. Passionis S. S. Perpetuæ et Felicitatis p. 253.

indicat Tertullianus ad Martyres c. 5. *Certe ad feras ipsas adfectatione descendunt, et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur*[13]. *Jam et ad ignes quidam se autoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent*[14]. *Alii inter venatorum taureas* (flagella lorea) *scapulis patientissimis inambulaverunt*[15]. Et Scorpiace 1. *Alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probaverunt; alii fustibus interim et ungulis insuper degustato martyrio in carcere esuriunt. Nos ipsi ut lepores, destinata venatio, de longinquo obsidemur*[16].

3. Hac vero persecutione non in omnes qui Carthagine erant Christianos sævitum fuisse, jam ex iis patet quæ de fratribus narrata sunt, quibus introeundi et refrigerandi facta fuerit facultas; in quibus certe fuerunt Clerici, quos tamen ante Cyprianum martyrium haud obiisse, testem habemus Pontium, qui vitam ejus scripsit. Præterea ex ipsis nostris Actis colligitur, Christianis ad Perpetuam et Felicitatem jam vulneratas in Amphitheatrum descendere licuisse: id quod de Catechumeno quodam Rustico et fratre Perpetuæ narratur. Causas igitur oportet extitisse peculiares nobisque ignotas, cur e tanta Christianorum multitudine hæ una cum sociis eligerentur, quæ in castrensi isto munere fidem suo sanguine obsignaturæ essent. Sicut constantia horum Martyrum, ita quoque commiseratio multos religionis adversarios, qui in carcere eos visitaverant, martyriique fuerant testes, ad amplectenda sacra Christiana movit[17]: *ex quibus*, ut Acta habent, *multi*

---

13 Alio loco, de anima c. 58. *Morsus ferarum ornamenta juventutis* dicit.

14 De tunica *ardente* vel *molesta*. Cf. Sagittarium de Martyrum Cruciatibus p. 179. sequ. Kriegk de tunica molesta Christianorum. Jenæ 1701. aliosque historiæ martyrum scriptores.

15 De hisce Martyribus Lucas Holstenius intellexit verba Tertulliani in Apolog. c. 50. Epistolæ selectæ ed. Boissonnade p. 513. At de priori persecutione agunt, quum Apologeticus scriptus sit anno 199, triennio ante hanc Severi persecutionem.

16 Scripsit hunc librum media persecutione, anno 204. Noesselt II. p. 20. ad confirmandos in constantia Christianos. Neander G. d. T. p. 140.

17 *Nec quicquam tamen efficit*, verba sunt Tertulliani Apologet. c. 50. *exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum.*

crediderunt, et ipse Pudens miles, optio (præpositus) carceris, Christianus deinceps factus, martyrii coronam adeptus est, incertum quo tempore; commemoratur vero in Kalendario Carthaginiensi ad III Kal. Maji[18].

4. Magna fuit horum Martyrum per subsequens tempus in universa Africa veneratio. Perpetuæ meminit Tertullianus coævus de anima c. 55. *Quomodo Perpetua, fortissima Martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic Commartyres suos vidit.* Augustini quatuor habentur tractatus de natali Perpetuæ et Felicitatis[19], et sæpius idem Doctor de iis loquitur, quos omnes locos collegit Holstenius[20]. Acta Martyrii earum publice in Ecclesia Africana perlecta fuerunt[21]. In Canone Missæ Romanæ veteribusque Martyrologiis memoria earum exstat[22]. Sepultæ fuerunt in Basilica majori Carthaginiensi, ut perhibet Victor Vitensis Persecutionis Vandal. Libro I. Et si plura superessent priscæ Ecclesiæ Africanæ monumenta, haud dubie earum laudes sæpissime in hisce celebratas legeremus. Mirum vero, a Cypriano, qui tamen in laudibus martyrii tam disertus est, eas ne verbo quidem commemorari.

---

18 Morcellus statuit p. 62. Pudentem anno 204. duodecimo Imperii Severiani passum esse, quum Romæ ludi seculares celebrarentur, in quorum locum Rufinus Proconsul cædes Christianorum edebat.

19 Tillemont Mémoires III. p. 60. 291.

20 In Editione Passionis earum a Valesio curata p. 39. sequ.

21 Augustinus Sermone I. de S. S. Perpetua et Felicitate.

22 Omnia hæc collecta reperiuntur in editione Valesiana p. 60. et 248.

CAP. XXX.

OPERA TERTULLIANI ET CYPRIANI APOLOGETICA.

1. Persecutiones in Christianum nomen Tertullianum moverunt ad libros Apologeticos pro religione et ecclesia Christiana edendos, quo calumnias quibus Christiani afficiebantur refelleret, eorumque innocentiam probaret. Exemplo illi fuere antiquiores Apologetæ, in Latinis Minucius Felix. Sed antequam Apologeticum ederet, libros composuit *ad Nationes* lectoribus e plebe, cultioribus nimirum, destinatos, e quibus quasi collectaneis brevi post anno 199. v. 200. retractando secundisque curis *Apologeticum* composuit a magistratibus legendum, quem[1], licet nomen suum reticuisse videatur Severo filioque Antonino inscripsit[2]; hi enim soli per hanc ætatem fuerunt *Imperii Romani Antistites*, et æquo quidem jure, quum Caracalla ab anno inde a. u. c. 951. p. C. n. 198. Augustus esset renunciatus[3]. In hoc vero libro, quo causam Christianorum, ut Lactantius censuit[4], plene peroravit[5], Ethnicos, pravis legibus obsequentes, injuste in Christianos sævire ostendit, calumnias a Christianis removet, easque ex parte in Ethnicos potius eorumque sacra cadere probat. Summam doctrinæ Christianæ exponit. Quid de Ethnicorum sacris statuendum sit docet, Christianam doctrinam atque coetum nullius mali, quo Imperium Romanum adfectum sit, causam esse, et omnia boni civis Christiani officia a Christianis non minus sancte, immo sanctius, quam ab Ethnicis præstari demonstrat; atque Christianorum instituta solennia eorumque mores lectoribus ante oculos ponit. Criminationes quasdam, propter quas Ethnici Christianorum sanguinem flagitare solent, recenset et retundit: denique quædam

---

1 *Liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures vestras pervenire.* Apolog. c. 1. Sic hæc verba intelligit Morcellus p. 49.

2 Moshemius de vera ætate Apologetici Tertulliani, in Dissert. ad Histor. Eccl. Vol. I. Noesselt de ætate scriptor. Tertulliani. Dissert. I. p. 34.

3 Eckhel. Doctrina Numorum Veterum, p. 22. Moshem. de vera ætate Apologetici §. 23.

4 Instit. Div. V. c. 4. n. 3.

5 Dissertationem viri eruditi Coenen de Tertulliano Apologeta in Actis Academiæ Rheno-Trajectinæ an. 1824. consulere nondum mihi licuit.

disserit de re Christiana, fonte sapientiæ gentilis, de resurrectione mortuorum, deque Christianorum constantia in morte subeunda[6]. Eundem hunc librum, ut a Græcis legi quoque posset, in Græcum sermonem aut ipse transtulit aut verti curavit. Laudatur hæc versio ab Eusebio Hist. Eccles. II. c. 2. In hisce libris duo imprimis invenies argumenta pro veritate religionis Christianæ a ceteris Apologetis neglecta[7]. Primum in libro ad Nationes 1-5. 9. 12. adversus Gentilium theologiam Physicam, quæ Deos elementa esse statuit, aliosque ex hisce natos Deos, quæ Varronis fuit doctrina[8], Alterum (Apolog. c. 17. et 23. et libro de testimonio animæ), quo ex eodem hoc testimonio animæ, quamvis rudis et impolitæ, Dei veri notitiam animæ ab ipsa natura insitam probat esse, ex communi quo illa se prodat hominum sermone, usitatisque loquendi formulis: Deus magnus, Deus videt etc.[9] Tertium librum Apologeticum scripsit ad Scapulam Africæ præsidem, quem ad mitiorem de Christianis sanctis et innocentibus sententiam ferendam permovere studet[10]. Exaratus vero est hic liber post mortem Severi Imperatoris, id quod valde fit probabile ex capite 4. ubi *de Severo*, patre Antonini, Christianorum amico, qui eorum memor fuerit, loquitur; et post deliquium solis magnum, Uticæ observatum (ibid. c. 3.), quod incidit in an. 210.[11]. Et quum Severus in Britannia obierit 4 Febr. a. u. c. 964. p. C. n. 211, eodem hoc anno scriptus videtur liber ad Scapulam. Nam persecutio duravit aliquantulum post mortem Severi, donec a Caracalla repressa fuerit.

2. Hisce libris apologeticis ex nonnullorum sententia adjunguntur Acta Passionis S. S. Perpetuæ et Felicitatis, quæ a Tertulliano collecta et in ordinem

---

6 Oelrichs de scriptt. eccles. Latinæ p. 18. 19.

7 Eisenlohr argumenta ab Apologetis sec. II. ad confirmandam Rel. Christ. veritatem ac præstantiam contra Gentiles usurpata. Tubing. 1797. p. 19. 20.

8 Villoison de Theologia Mysteriisque Veterum, in Baron de Ste Croix Recherches sur les Mystéres du Paganisme, ed. 2da, Tom. II. Append.

9 Eisenlohr l. c. p. 28. Hic quoque liber quodammodo inter Apologeticos Tertulliani referi meretur. Ejus argumentum copiosius expositum vide apud Neandrum G. d. T. p. 84. sequ. et Episc. Lincoln. p. 177. sequ.

10 Hujus libri argumentum dat Tillemont Histoire des Empereurs III. p. 106.

11 Cf. notam Holstenii in Pass. S. S. Perpet. et Felicit. p. 204.

redacta esse statuunt. Et sunt sane multæ locutiones, quæ cum Tertullianeis conspirant, quas sedulo collegit Holstenius in notis. Sed ex iis nihil probatur; nam Africano fuisse possunt idiomati peculiaria. Itaque satius ducimus, auctori anonymo hocce opusculum attribuere, notario nimirum Christiano, qui et visiones Perpetuæ et Saturi exscripsit, interrogatoria præ oculis habuit, et martyrii fuit testis. Neque fucile intelligendum, si hoc opus a Tertulliano scriptum fuerit, qui fieri potuerit, ut a nullo unquam scriptore ecclesiastico ei attributum fuerit[12].

3. Huc denique referendum est opus Cypriani de vanitate Idolorum, ante ejus episcopatum, et dum adhuc Neophytus erat, scriptum anno 247. quoniam tales libri Apologetici pro Christianis adversus Gentes a viris eruditis, qui Christianam religionem amplexi erant, conscribi solebant; et Cyprianus præterea de hoc argumento scribere voluisse videtur, quum antea, ut tradit Hieronymus, idololatriæ assertor fuisset[13]. Presbyter factus scripsit tres libros Testimoniorum adversus Judæos, et librum de habitu virginum[14], quem h. l. memoramus, quum ante ejus Episcopatum editus sit.

---

12 Noesselt de ætate scriptorum Tertulliani Commentatio III. p. 41. et Ruinarti Acta Martyrum p. 83.

13 Pearson Annales Cyprianici p. 8.

14 Morcellus p. 97.

CAP. XXXI.

CONCLUSIO.

1. Post mortem Severi pacata plerumque Christianorum fuere tempora. Antoninus enim Caracalla *lacte Christiano fuerat educatus* (ad Scapulam c. 4.) et licet persecutio imperii ejus initio recruduerit, ut Tertullianus perhibet, brevi tamen sedata est: Macrino nec tempus fuit persequendi, nec animus memoratur a Christianis alienus. Elagabalus Christianos odio haud habuit, quin *cogitavit de Christiana devotione Romam transferenda, ut omnium culturarum secretum ipsius sacerdotium teneret*[1]. Alexander Severus, optimus princeps, Christianis manifeste favit; *Christianos esse passus est,* verba sunt Lampridii[2], et de matre ejus Julia Mammæa etiamnum dubitatum, annon fuerit Christiana. Maximinum persecutorem perhibent Eusebius, Hieronymus, Augustinus aliique, sed tantum in ecclesiarum sacerdotes, testante Eusebio H. E. VI. 28., et Hieronymo in Chronico. Africam haud læsit, alias certe indicassent Cyprianus et Eusebius[3]. Præterea habemus testimonium Pontii in vita Cypriani sæpius jam commemoratum, *ante hunc Carthaginiensem Episcopum nunquam aliquem episcopum vel clericum ad passionem venisse.* Gordianorum Imperium perbreve, ut et Balbini et Pupieni, tumultu insuper civili turbatum: Gordianus III pius ac mitis princeps. Philippus Arabs ipse, licet nulla idonea de causa, pro Christiano habitus. Itaque per quadraginta fere annos res Christianorum, ut in universo orbe Romano, sic quoque in Africa, edictis principum haud affligebantur. Sed abrogatæ haud erant veteres leges. Populus, haud dubie a sacerdotibus concitatus, Christianorum sanguinem interdum poscebat, neque semper Magistratus vel Legionum Legati ejus furorem, etsi vellent, compescere valebant. Hoc quidem modo in Christianos vi antiquarum harum legum animadversum fuisse videtur; unde Martyres et Confessores illi in Concilio Cypriani, quos CAP. VI. retulimus, qui

1 Lampridius in Heliogabalo c. 3.

2 In vita Alexandri c. 22. Gnosticismo eum addictum fuisse conjicit Jablonskius, Diss. de Alexandro Severo Imp. Rom. Christianorum sacris per Gnosticos initiato, in Opusculis a Te Watero editis Tom. IV. p. 38-79.

3 Cf. Mémoires de Tillemont III. 271.

tamen vix omnes in Deciana persecutione ab anno 249-251. vexati fuerunt, sed jam ante ista tempora pro religione Christiana vincula, tormenta et exilium passi videntur. Ex horum fortasse numero erat Faustus ille Timidæ Regiæ Zeugitanæ Episcopus, qui Concilio Cypriani interfuit atque baptismum hæreticorum reprobavit [4], et Martyres Timidæ in veteri Kalendario Carthaginiensi apud Ruinartum commemorati; de quorum vero ætate nihil accuratius definiri potest. Et Lapsos quoque Cyprianus commemorat in persecutione, incertum tamen quanam: in quibus recensentur Fortunatianus Asturi Episcopus (ep. 65.) et Repostus Saturnicensis Episcopus, qui cum Privato et quatuor aliis Fortunatum Episcopum consecraverat, ep. 59. anno 252. data p. 132. et epist. ad Confessores, ep. 56. p. 115. eodem anno data.

Et sic quidem, sparsas de rebus Christianorum Afrorum per duo circiter secula notitias sedulo colligendo, invicem componendo et in qualemcumque ordinem redigendo, tempora attigimus Decii Imperatoris, Aspasii Paterni Proconsulis Africæ et Cypriani Episcopi Carthaginiensis. Obscuritates, quibus historia Ecclesiæ Africanæ per inopiam monumentorum, cum Ethnicorum tum Christianorum, ad hæc usque tempora premebatur, jam sensim sensimque a majori quam historia præbet luce pelluntur. Res Cypriani ex mutuis ejus et collegarum epistolis, nec non ex aliis ejus scriptis satis notæ, a Pearsonio, Episcopo Cestriensi, in Annalibus Cyprianicis erudite expositæ sunt. Series successorum ejus nullis amplius difficultatibus laborat, neque controversiæ in ecclesia Africana agitatæ, quales fuere Novatiana atque Donatistica illa, qua inprimis Africa omni calamitatis et sævitiæ genere affligebatur, post tot virorum doctorum lucubrationes, inter quas eminent Walchii in Historia Hæresium, uberiori illustratione indigent. Magni ecclesiæ doctoris Augustini Hipponensis Episcopi multa quæ supersunt volumina ditissimos aperiunt fontes, unde illorum temporum notitia haurienda est; neque desunt Conciliorum in Africa habitorum acta atque canones, in editionibus Conciliorum, atque a Justello [5], Beveregio [6],

---

4 Cypriani Opera. p. 239.

5 In Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Paris. 1615.

6 In Pandectis Canonum S. S. Apostolorum et Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum (Oxon. 1682.) Tom. I. Con-

Fuchsio[7], aliisque collecti et illustrati, e quibus regiminis ecclesiastici forma cognoscitur. Hujus quoque ecclesiæ fata sub Vandalorum imperio, et sub Justiniano ejusque successoribus, usque ad Saracenorum invasionem haud ita pauca sunt scripta quæ manifestent. Hæc vero, quum ad PRIMORDIA ECCLESIAE AFRICANAE minime pertineant, in initio Episcopatus Cypriani ab anno 248. per decem annos usque ad gloriosum ejus martyrium, quod anno 258. subiit, gesti, gradum sistimus; quod quidem Cypriani initium nobis, filo narrationis sæpe quidem interrupto, ad istam tamen epocham haud infeliciter, quod speramus, producto, scribendi otium facit.

---

cilium Cypriani legitur Græce et Latine p. 365. Concilium Carthaginiense sub Aurelio (anno 419.) p. 508. utrumqve cum notis Balsamonis et Zonaræ.

7 Bibliothek der Kirchenversamlungen des vierten und fünften Jahrhunderts. Tom. III. Lipsiæ 1783.



APPENDIX.

I.

ACTA PROCONSVLARIA MARTYRVM SCILLITANORVM[1].

I.

EX ANNALIBUS BARONIANIS, AD ANNUM CCII.

1. Exsistente Claudio[2] Consule quartodecimo Kalendas Augustas Carthagine Metropoli, statuto forensi conventu, præceperunt Magistratus adstare sibi *Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam,* et *Vestinam.* Et adstantibus eis Saturninus[3], Proconsul dixit: Potestis veniam a Dominis nostris Severo et Antono[4] promereri, si bono animo conversi fueritis ad Deos nostros. Speratus dixit: nos minime aliquando malum fecimus, neque iniquitatem sequentes in peccatis egimus operationem, nec aliquando cuiquam maledeximus; sed male suscepti a vobis, gratias egimus semper. Quamobrem Dominum verum et Regem adoramus.

---

1 Typis exscripta ex Ruinarti Actis primorum Martyrum sinceris et selectis. Paris. 1689. p. 77. sequ.

2 In alio codice *Præstante,* in tertio *Præsente,* in quo *Claudianus* etiam Consul appellatur. Ruinart p. 77. Sic in fragmento horum actorum, cui III. inscripsimus. Vera lectio videtur esse *Claudio.* Habemus *Tiberium Claudium Severum,* qui Consul processit anno 200. Probabile vero est, Speratum et socios passos esse anno 202.

3 Is est procul dubio, de quo Tertullianus ad Scapulam c. 3. de præsidibus agens, qui Christianos persecuti divinitus puniti sunt, hæc habet: *Vigellius Saturninus, qui primus gladium in nos egit, lumina amisit.* R. De hoc Saturnino vide quæ p. 180. notavimus.

4 Legendum *Antonino,* quod nomen tulit Caracalla Severi filius. R.

Saturninus Proconsul dixit: Et nos electi sumus, et mitissima est elegantia nostra: et juramus per genium domini nostri Imperatoris[5]; et pro salute illius intercedimus, quod et vos facere debuistis. Speratus dixit: Si tranquillas adhibeas mihi aures tuas, dicam mysterium mansuetudinis. Saturninus Proconsul dixit: Dicente te de mysterio, non inferam mala[6]: tantum jura per genium Regis nostri. Speratus dixit: Ego Imperatoris mundi genium nescio, sed coelesti Deo meo[7] servio, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. Ego enim non furatus sum aliquando; sed quodcumque emam, tributum do, quoniam cognosco eum dominum meum: sed adoro Dominum meum Regem Regum, et omnium gentium Dominum. Saturninus Proconsul dixit: De cetero a tumultu garrulitatum quiescite, et accedentes sacrificate Diis. Speratus respondit: Illa est mala concitatio, quæ facit homicidium, et falsam accusationem adversus aliquem.

2. Saturninus Proconsul ad alios conversus dixit: Nolite furoris hujus insipientiæ participes fieri, sed timete potius Regem nostrum, obedientes præceptis ejus. Cittinus dixit: Nos non habemus alium quem timeamus, nisi Dominum Deum nostrum, qui est in cælis. Saturninus dixit: Detrudantur in carcerem, ponantur in ligno[8] in diem crastinum.

---

5 Genivm avgvsti raro tantummodo habent numi. Nonnisi duo mihi innotuerunt exempla in numis Neronis et Galerii Maximiani. Eckhelii Doctr. Numor. Vett. VI. 272. VIII. 38. Genivm imperatoris habet numus ejusdem Galerii l. c. genivs popvli romani sæpius occurrit.

6 Romanos Mysteria, Bacchica si excipiamus, de quibus celeberrimum illud exstat S. C. de Bacchanalibus, veneratos fuisse, inter omnes constat. Sperato igitur de Mysterio dicente, Proconsul vocem arripuit, eo consilio ut Christianos a furore plebis incolumes sisteret, et salvis legibus ab omni culpa absolveret.

7 Deus Coelestis fortassis opponitur Deæ Coelesti v. Uraniæ, a Carthaginiensibus tantopere cultæ.

8 Lignum quod *Nervus* dicitur; h. e. trabs crassior, multa habens foramina, quibus pedes, manus, interdum etiam cervices vinctorum immittebantur et nervis (ita interdum vincula ferrea appellantur quibus pedes impediuntur, qui alias compedes audiunt) vinciebantur. Græce *ξύλον*, *ξυλοπέδη*, *ποδοκάκη*. etc. Vide Actor. XVI. 24. et Schleussnerum in Lexico N. T.

3. Sequenti die Saturninus Proconsul, sedens pro tribunali, eos præsentari jubet. Qui cum adstitissent, dicit ad foeminas: Honorate Regem nostrum[9], et sacrificate Diis. Tunc Donata dixit: Honorem quidem Cæsari tamquam Cæsari, Deo autem nostro honorem et orationem offerimus. Stans Vestina dixit: Et ego Christiana sum. Secunda similiter dixit: Et ego credo in Deo meo, et volo in ipso esse: diis autem tuis non servimus, neque adoramus. Saturninus Proconsul, auditis his, præcepit eas servari[10].

4. Advocatis viris, dicit Sperato: Perseveras ut Christianus sis? Speratus dixit: Etiam persevero: et omnes audite, quia Christianus sum. Audientes omnes, qui cum illo retenti fuerant, consenserunt confessioni illius, dicentes: Sumus et nos pariter Christiani. Saturninus Proconsul dixit: Nec liberationem[11], nec remissionem vultis? Speratus respondit: In certamine justo nulla est remissio. Fac quod vis! Nos enim pro Christo gaudentes morimur. Saturninus Proconsul dixit: Qui sunt libri, quos adoratis legentes? Speratus respondit: Quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi, et Epistolas sancti Pauli Apostoli[12], et omnem divinitus inspiratam Scripturam. Saturninus Proconsul dixit: Spatium trium dierum tribuo vobis, ut resipiscatis. Speratus dixit: Christianus sum, et omnes qui mecum sunt; et a fide Domini nostri Jesu Christi non discedimus. Fac quod vis!

5. Proconsul, videns etiam ipsorum mentis stabilitatem et fidei firmitatem, dedit in eos sententiam per Exceptorem[13], dicens sic: Speratum, Narza-

---

9 Ex hisce verbis probabile fit, Actorum hoc exemplar ex aliis antiquioribus conscriptum esse tempore quo Afri Reges habuerunt, h. e. Vandalorum ætate. Romanos enim vel ab ipso vocabulo abhorruisse, inter omnes constat.

10 Longe melior lectio, quam alii codd. habent, *separari* in textum recipi meretur.

11 Legendum: *deliberationem.* Nam in codice Colbertino: *Forsitan ad liberandum tempus vultis accipere.* R.

12 Respexit fortassis vetustas illas plerumque Novi Testamenti librorum collectiones, Evangelium et Apostolus dictas, quæ inprimis in Ecclesia Orientali sec. II. in usu erant. Vide Primordiorum CAP. XV. Sic *omnis divinitus inspirata scriptura* erit codex Veteris Testamenti.

13 Exceptores, qui notis excipiebant orationes. Senecæ Epist. XIV. Erant igitur Notarii in foro Romano.

lem[14], Cittinum[15], Veturium, Felicem, Acyllinum[16], Lætantium, Januarium[17], Generosam, Vestinam[18], Donatam, et Secundam, Christianos se esse confitentes, et Imperatori honorem et dignitatem dare recusantes, capite truncari præcipio. Hæc cum essent ex tabella recitata[19], Speratus, et qui cum eo erant omnes dixerunt: Deo gratias conferimus, qui dignatus nos hodie Martyres accipere in cælis pro confessione sua. His dictis, ducti sunt; et flexis genibus unanimiter, cum iterum gratias Christo agerent, truncata sunt singulorum capita. Consummati sunt Christi martyres mense Julio, die septimo decimo, et intercedunt pro nobis ad Dominum Jesum Christum[20], cui honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

---

14 Cod. Colbertinus *Nazarium.* Beda *Martialem,* quod nomen etiam Rabanus et Notkerus in aliquibus Mss. habent. R.

15 Cod. Colbertinus, Beda et Rabanus *Cythium*, Cod. Augiensis *Cattlnum.* R.

16 Alii fere omnes *Aquilinum* et sequentem *Lactantium* appellant. R.

17 *Januarium* et *Generosum* habent Cod. Colbert. Rabanus in uno Codice Ms. et Beda genuinus. Hic tamen in uno Cod. Ms. habet *Generosam.* R.

18 In eodem Colbertino et Cod. Augiensi *Vestiam.* Beda sincerus et Rabanus *Vestam.* Ado, Usuardus et Notker *Bessiam.* R.

19 Sententiæ judicum communiter e tabella recitabantur. Tertulliani Apolog. c. 2. Pollet historia fori Romani p. 529. Plures hujusmodi servarunt Acta Martyrum apud Ruinartum p. 136. 218. 247. 251. Et sententiam a Pontio Pilato in Jesum Christum latam fingit Evangelium Nicodemi c. 9.

20 Hinc quoque colligitur, hæcce Acta esse seriore tempore conscripta; nam prisca Ecclesia nonnisi unum intercessorem et mediatorem, Jesum Christum, agnovit.

II.

EX COD. MS. BIBLIOTHECÆ COLBERTINÆ.

Passio sanctorum Martyrum Sperati, Nazarii, Cicii, Donatæ, Secundæ, Vestæ, et comitum eorum, qui passi sunt Carthagine sub Saturnino Proconsule XVI. Kal. Aug.

1. Adductis ergo in secretario[21] Carthaginis apparitorum[22] officio *Sperato*, *Nazario*, *Cicio*, *Donata*, *Secunda* et *Vesta*, sociis eorum, Saturninus Proconsul his omnibus generaliter dixit: Potestis indulgentiam omnes a dominis nostris Imperatoribus promereri, si ad bonam mentem redeatis, et Deorum nostrorum ceremonias observetis. Sanctus Speratus dixit: Nunquam gessisse conscii sumus iniquitatem, opem atque assensum non præbuimus, nulli umquam nos male dixisse recolimus, sed male tractati ac lacessiti semper Deo gratias egimus. Siquidem et pro iis oravimus, quos injuste patiebamur infestos, pro qua re et Imperatorem nostrum adtendimus, a quo nobis hæc vivendi norma concessa est. Saturninus dixit: Et nobis religiosissima et simplex est nostra religio, et juramus per regnum dominorum nostrorum Imperatorum, et pro salute eorum supplicamus, quod vos facere debeatis. Speratus sanctus dixit: Si tranquillas præbueris aures tuas, dicam mysterium Christianæ simplicitatis. Saturninus Proconsul dixit: Incipienti tibi dicere male de sacrificiis nostris, aures præbebo? Sed potius jurate per regnum dominorum nostrorum Imperatorum, ut vitæ istius lætitia perfruatis. Speratus sanctus dixit: Ego imperium hujus sæculi non cognosco, sed magis illi fide spe et caritate deservio Deo, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Facinus, quod legibus publicis

---

21 Forum Prætorianum in Cod. Justinianeo, Privatum sanctumque Consilium. Observavit et Alciatus in Cod. Theod. non semel *Secretarium* dici, quod illic secreta summæ rerum contrectentur. Pollet historia fori Romani p. 29. Nomen, quod seriorem quoque indicat ætatem.

22 Nomen a *parendo* vel *apparendo* dictum, quod omnibus ministris commune est. Erant Scribæ vel Commentarienses, Accensi, Præcones, Interpretes, Viatores, Lictores, Custodes. Hoc loco de Lictoribus et Custodibus inprimis accipienda est vox. Cf. Pollctum p. 497. 506.

et divinis comperitur esse damnabile, non feci. Si quid autem in publicum egero, de id exactoribus publicis vectigalia reddo. Imperatorem omnium gentium Deum et Dominum meum agnosco: querelas nulli intuli, sustinere non debeo.

2. Saturninus Proconsul ad ceteros ora convertit, et socios sancti Sperati sic adorsus est, dicens: Desinite hujus etiam persuasionis, qua Speratus inlectus est; quos ejus habuerit professio, socios nihilo minus habebit et poena. Speratus sanctus dixit: Mala est persuasio falsum testimonium dicere, mala utique probatur esse consensio, si contra divinis legibus agatur et publicis legibus[23], quibus humanæ vitæ ordo disponitur. Persuasio vero divinæ culturæ sectanda est potius quam deserenda. Saturninus Proconsul dixit: In præteritis jam ego admonui, ut furoris hujus dementiæ non annuatis esse participes. Sanctus Cythius respondit: Non aliud oportet a nobis audire, Proconsul, nisi quæ socius noster Speratus confessus est. Scito enim quod non habemus alium quem timeamus, nisi unum Deum et Dominum nostrum, qui est in cælo. Sancta Donata similiter dixit: Honorem Cæsari reddimus, timorem autem aut cultum Christo Deo vero præstamus. Vestia vero venerabilis secuta est dicens: Hoc semper meditabitur cor meum et labia mea pronuntiabunt, quia Christiana sum. Sancta vero (Secunda) similiter ait: Quod sum Christiana, ipsa id esse volo, et a meorum sociorum professione ullo obstante[24] recedo.

3. Saturninus Proconsul sancto Sperato dixit: Perseveras, ut video, esse Christianus. Sanctus Speratus dixit: Hanc perseverantiam Christianam non meis viribus sed divini muneris me habere confido. Proinde si vis fixam cordis mei scire sententiam, Christianus sum. In hac ergo confessione et ceteri Dei Martyres consenserunt. Saturninus proconsul dixit: Forsitan ad liberandum spatium vultis accipere. Sanctus Speratus dixit: In rem tam bonam[25] (non) quæritur secunda deliberatio. Tunc enim deliberavimus nos a

---

23 Ejusmodi casuum, ut vocant Grammatici, mutationes sæpius in Mss. occurrunt. Hic legendum: *divinas ...... et publicas leges*. R.

24 An *Nullo instante?* sunt et infra aliqua loca depravata, quæ, prout Codex habet, retulimus. R.

25 *In re tam bona?*

cultura Christi non deserere, quando baptismi gratia renovati, et diabolo abrenuntiavimus, et Christi vestigia secuti sumus. Saturninus Proconsul dixit: Quæ est, dicite mihi, res doctrinarum in causa et religione vestra? Speratus sanctus respondit: Libri Evangeliorum, et Epistolæ Pauli, viri sanctissimi, Apostoli [26]. Saturninus Proconsul dixit: Accipite moram triginta dierum, ut retractetis hujus sectæ confessionem. Forsitan ad deorum sacras ceremonias revertemini. Speratus sanctus respondit; non triginta dierum mora mutare poterit professionem nostram, sed potius optatæ vitæ hoc spatium deliberandi accipere, ut de tam turpi cultura idolorum Christianæ religionis amator existeres. Ceterum si hoc non es dignus accipere, suspende moram, sententiam recita. Nam quales nos hodie cernis, tales post hanc induciam futuros esse non dubites.

4. Cernens Proconsul Saturninus sanctorum perseverantiam, decretum recitavit ex tabella. Speratum, Nazarium, Cythium, Donatam, Secundam et omnes Christiano ritu vivere se confessos, et quod oblatam sibi facultatem redeundi ad deorum culturam obstinate non receperunt, gladio namque animadverti placet. Sanctus Speratus dixit: Gratias Christo agimus. Nazarius sanctus dixit: Hodie Martyres in coelo sumus. Deo gratias. Saturninus Proconsul per præconem sanctos duci jussit, id est, Speratum, Nazarium, Cythium, Verum, Felicem, Aquilinum, Lactantium, Januarium, Generosum, Vestam, Donatam atque Secundam, et sic venientes ad locum martyrii, gladio sunt percussi, beatas Deo animas tradiderunt. Dominus autem suscepit Martyres suos in pace, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

---

26 Vide quæ supra adnotavimus p. 221. not. 12.

III.

FRAGMENTUM DE MARTYRIBUS SCILLITANIS.

Ex cod. ms. Augiensi apud Mabillon. Tom. IV. Vet. Analect. Incipit Passio Sanctorum Scillitanorum quod est XVI. Kal. Augusti.

In diebus illis præsidente bis Claudiano Consule[27] XVI. Kal. Augusti. Carthagine in Secretario, impositis Sperato, Narthalo[28], et Cattino, Donata, Secunda, Vestia, Saturninus Proconsul dixit: Potestis indulgentiam domini nostri Imperatoris promereri, si ad bonam mentem redeatis. Speratus dixit: Nunquam malefecimus; iniquitati nullam operam præbemus, nunquam malefecimus; sed male accepti gratias egimus, propter quod imperium nostrum[29] observamus. Saturninus Proconsul dixit: Et nos religiosi sumus, et simplex est religio nostra: et juramus per ingenium[30] Domini nostri Imperatoris, et pro ejus salute supplicamus, quod et vos quoque facere debetis. Speratus dixit: Si tranquillas præbueris aures tuas, dico mysterium . . . . . .[31].

---

27 Hocce *bis* haud intelligo. Habemus ad ann. u. c. 953. p. Chr. 200. Tiberium Claudium Severum, qui hoc anno tertium processit Consul. Hoc vero loco Consul iterum dicitur: et quum totum hoc negotium Carthagine peractum sit, haud video quomodo Præsidens dici possit, nisi valde improprie. Obstat præterea annus qui est Christi 200, quum Scillitanos Martyres anno potius 202 passos esse probabile sit.

28 *Narthalus*, in aliis *Narzales*, parum mutata adspiratione.

29 *Vestrum.* R.

30 *Genium* quæ certe vera est lectio.

31 Hæc valde conspirant cum narratis in Actorum exemplo primo.

II.

PASSIO[1]

SANCTARVM PERPETVAE FT FELICITATIS CVM SOCIIS EARVM[2].

PRAEFATIO.

1. Si vetera fidei exempla, et Dei gratiam testificantia et ædificationem hominis operantia, propterea in litteris[3] sunt digesta, ut lectione eorum quasi repensitatione rerum, et Deus honoretur, et homo confortetur; cur non et nova documenta æque utrique causæ convenientia et digerantur? vel quia et hæc vetera futura quandoque sunt et necessaria posteris, si in præsenti suo tempore minori depu-tantur[4] auctoritati, propter præsumtam venerationem antiquitatis. Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro ætatibus judicent temporum: cum majora reputanda sint novitiora quæque ut novissimiora[5], secundum exupera-

---

1 *Passionis* nomen retinemus, quod his actis competere probat Holstenius in *notis ad Passionem S. S. Perpetuæ et Felicitatis* Paris. 1664. A Græcis *Martyrium* vocatur. In Cod. Salisburg. additur: *in Civitate Turbitana.* Sed in eo Codice deest Præfatio, sicut et in Compendiensi. RVINART.

2 Ex editione Holstenii: Passio S. S. Perpetuæ et Felicitatis. Item Passio Bonifacii Romani Martyris etc. Parisiis 1664. et Ruinarti Actis Martyrum p. 85. quæ Jos. Augustinus Orsi R. E. Cardinalis una cum notis exscripsit in dissertatione apologetica pro S. S. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum Martyrum Orthodoxia. Florent. 1728. p. 1-15.

3 *In literas.*

4 Hoc sensu *deputari* sæpius legitur apud Tertullianum. v. c. de poenitentia c. 3. *Id peccato deputandum a quo Deus arcet;* et mox ibidem: *quæ delicto deputanda sunt.* Sic quoque adv. Hermogenem c. 11. 13. 25. de Idolol. c. 10. ad uxorem II. c. 4. de fuga in persec. c. 1. H. Cf. præterea Semleri Indicem Latinitatis Tertullianeæ. Opp. Vol. VI. p. 375.

5 Ejusmodi loquendi modos soli fere usurparunt Afri, et in his Afri agnoscendi sunt. Sic apud Tertullianum *extremiora*, *extremissimi sæpius.* R. Apud Apulejum *postremissimus* et *novissimo extremius;* apud Arnobium *minimissimus.* H.

tionem gratiæ in ultima seculi spatia decreta. In novissimis enim diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii filiæque eorum, et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam: et juvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt[6]. Itaque et nos, qui sicut prophetias[7], ita et visiones novas, pariter repromissas, et agnoscimus et honoramus; cæterasque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiæ[8] deputamus, cui et missus est idem omnia donativa[9] administrans in omnibus, prout unicuique distribuit Dominus, necessario et digerimus, et ad gloriam Dei lectione celebramus, ut ne qua aut imbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum æstimet gratiam divinitatis conversatam, sive martyrum, sive in revelationum dignatione[10]: cum semper Deus operetur quæ repromisit, non credentibus in testimonium[11], credentibus in beneficium. Et nos itaque quod audivimus et contrectavimus, annunciamus et vobis, fratres et filioli: ut et vos qui interfuistis rememoremini gloriæ Domini: et qui nunc cognoscitis per auditum, communionem habeatis cum sanctis Martyribus, et per illos cum Domino Jesu Christo: cui est claritas et honor in secula seculorum. Amen.

---

6 Joel II. 28. Actor. 17. Sunt Montanistarum visiones atque vaticinia, de quibus auctor, qui ipse Montanisticis placitis imbutus erat, h. l. cogitat.

7 Montanistæ doctrinam suam *novam* vocarunt *Prophetiam*. H. Vide CAP. XXII. p. 139.

8 *Instrumentem* hac significatione sæpius legitur apud Afros. Tertullianus libro de fuga in persecutione c. 2. *Diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis* esse ait. De cultu feminarum: c. 8. de gravitate *Instrumento pudicitiæ* loquitur, et sæpius. H. Cf. præterea Indicem Latinitatis Tertullianeæ p. 431.

9 *Χαρίσματα* veteris ecclesiæ. 1 Cor. XII. adv. Marcionem V. c. 2. *Data dedit filiis hominum, id est donativa quæ charismata dicimus.* H.

10 *Dignatio* apud Tertullianum, Cyprianum, aliosque Afros idem quod Gratia, quam Deus conferre aut præstare dignatur. Tertull. de Patientia c. 11. *Gratulari et gaudere nos dicit dignatione divinæ castigationis.* De cultu feminar. c. 2. *Nam vobis et .... eandem judicandi dignationem pollicetur.* De baptismo c. 3. 18. Præscr. c. 34. De patient. c. 4. Pontius in vita Cypriani. *Finge enim tunc illum Martyrii dignatione translatum:* et sæpius apud Cyprianum.

11 Tertull. de anima c. 51. *Ubique Deus potestatis suæ signa proponit suis in solatium, externis in testimonium.*

INCIPIT PASSIO.

2. Apprehensi sunt adolescentes Catechumeni, *Revocatus* et *Felicitas* conserva ejus, *Saturninus*[12], et *Secundulus*. Inter hos et *Vbia*[13] *Perpetua*, honesta, liberaliter instituta, matronaliter nupta[14]; habens patrem et matrem, et fratres duos: alterum æque catechumenum, et filium infantem ad ubera[15]. Erat autem ipsa circiter annorum viginti duo. Hæc ordinem totum martyrii sui jam hinc ipsa narrabit, sicut conscriptum manu sua et suo sensu reliquit.

3. Cum adhuc, inquit, cum persecutoribus essem[16], et me pater evertere cupiret[17], et dejicere[18] pro sua affectione perseveraret: Pater, inquio, vides, verbi gratia, vas hoc jacens, urceolum, sive aliud? et dixit; video. Et ego dixi ei: numquid alio nomine vocari potest? Et ait: Non. Sic et ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum, Christiana. Tunc pater motus hoc verbo mittit se in me, ut oculos mihi erueret: sed vexavit tantum[19], et profecto[20] est victus cum argumentis Diaboli[21]. Tunc paucis diebus quod caruissem

---

12 Codd. addunt: *Saturninus*, quem in textum recepit R.

13 Hanc lectionem alteri apud R. quæ *Vivia* habet, præfero. Ubia est nomen Romanum, Viviam ignoro.

14 Hunc locum e codicibus restituit R. Habet enim textus Holstenii *Matrona licet nupta*.

15 Mariti nulla fit mentio. An qvod muliere gravioris criminis comperta, dissolutum tunc matrimonium censebatur, ut innui videtur lege 5 D. de bonis damnatorum; an qvod Christianus erat, ut ex paulo inferius scriptis ab ipsa Perpetua recte videtur colligi? H.

16 Cum Ethnicis, antequam in carcerem detruderetur. Loco *essem*, habet R. *essemus*.

17 Sic correxit R. *et me pater avertere*, omisso verbo *cupiret*, at sine idonea causa; *everti* enim optime dici potuit, quæ ad deserendam religionem Christianam seducebatur.

18 Dejiciendi vox a pugilibus et palæstra translata frequentissima est apud scriptores Christianos in sensu tentandi et pervertendi. H.

19 *Vexandi* verbum h. l. usurpatur in sensu leniori pro impulsu violento citra læsionem gravem, qvam alias indicat. Sic Tertullianus, ad Scapulam c. ult. *Christianum nomen vexari* dixit, quum gravissima persecutione premeretur. H.

20 *Profecto*. H.

21 Signo Crucis, ut putat H.

patre, Domino gratias egi, refrigeravit[22] absentia illius. In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus, et mihi Spiritus dictavit, non aliud petendum ab aqua[23], nisi sufferentiam carnis.

Post paucos dies recipimur in carcerem[24]: et expavi, quia numquam experta eram tales tenebras[25]. O diem asperum! æstus validus, turbarum beneficio[26] concussuræ militum[27]: novissime macerabar solicitudine infantis[28]. Ibi tunc Tertius et Pomponius, benedicti Diaconi[29] qui nobis ministrabant[30], constituerunt præmio, ut paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremus[31]. Tunc exeuntes de carcere universi sibi vacabant. Ego infantem

---

22 Græce *ἀνέπαυσεν* vel *διανέπαυσεν· requiem dedit, juvit, consolationem attulit,* quod legitur ap. Eusebium H. E. VIII. c. 10. H. alii codd. *refrigerata sum.* R. Sed Græcismum malo. *Refrigeravit* præterea in aliis actis Africanis observavit Ruinartus.

23 A vi divina cum aqua sacramentali conjuncta. Ruinartus habet *in* aqua: h. c. in ipso baptismi momento, quum in aquam demergeretur. Priorem lectionem præferendam duco. Holstenius intelligendum putat de tempore: *ab eo inde tempore quo baptismum suscepi.*

24 Phrasis in actis M. M. sæpe obvia. H.

25 *Habet tenebras carcer, sed lumen estis ipsi.* Tertull. ad Martyr. c. 2.

26 Æstus magnus ob inclusorum multitudinem. *Validos* R. *turbarum beneficio: τοῦ ὄχλου χάριν.* H.

27 *ὠθισμὸς* ap. Procopium histor. arcanæ pag. ultima. Nota militum barbaram feritatem in vinctos, cujus tot exempla præbet historia Martyrum. H.

28 Elegans admodum et nativa materni amoris expressio. H.

29 *Diacones.* R.

30 Notum est ex historia ecclesiastica Diaconorum in carceribus ministerium. De his Cyprianus Epist. II. *Semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis et scripturarum præceptis gubernarent. Benedictos* dicit. Sic Tertullianus ad Martyr. init. et sæpios hosce Benedictos vocat. Item mulieres Christianas, et Episcopos. H. Hi Diaconi in excerptis Mabillon. dicuntur Titius et Pontius. R.

31 Hunc in usum et ecclesiæ et singuli fideles de opibus suis erogabant, ut Confessoribus et Martyribus in carcere alimenta ceteraque vitæ subsidia ac necessaria refrigeria suppeditarentur, aut, ubi opus esset, a custodum iniquitate largitionibus exprimeretur, ne miseriis victi ante ipsum certamen deficerent. Conjecti fuerant in carcerem

lactabam jam inedia defectum[32] Sollicita pro eo adloquebar matrem, et confortabam fratrem, commendabam filium[33]. Tabescebam ideo, quod illos tabescere videram mei beneficio. Tales sollicitudines multis diebus passa sum, ut usurpavi ut mecum infans in carcere maneret: et statim convalui; et relevata sum a labore et sollicitudine infantis, et factus est mihi carcer subito prætorium[34]; ut ibi mallem esse quam alicubi[35].

4. Tunc dixit mihi frater meus: Domina soror, jam in magna dignatione es[36]; et tanta, ut postules visionem[37], et ostendatur tibi, an passio sit, an commeatus[38]. Et ego, quæ me sciebam fabulari cum Domino[39], cujus beneficia[40] tanta experta eram, fidenter repromissi ei dicens[41], crastina die tibi renunciabo. Et postulavi[42], et ostensum est mihi hoc: Video scalam[43] miræ magnitudinis, pertingentem usque ad coelum, et angustam, per quam non nisi singuli ascendere

---

interiorem; ut vocatur Actorum c. XVI. 24. verbo *refrigeraremus* explicatur Græcum *ἀναψυχεῖν*. H.

32 Ferme ad mortem redactum.

33 Cod. Salisb. *Et confortabam, fratri commendabam filium*. R.

34 Palatium publicum, in quo Proconsul jus dicebat. Non modo carceris incommoda non me amplius conturbabant, sed et iis gaudebam, tamquam in splendidis et commodis ædibus degerem. H.

35 Sic H. *alibi*. R.

36 Sic Cyprianus: *quippe quam illustrarat jam gloriosis initiis divina dignatio* ep. 5. Confessoribus de carcere constitutis. Tertull. ad uxor. I. c. 4. de sororibus quæ nuptiis sanctitatem anteponunt: *ab eodem* (Domino) *dignationem, velut munera dotalia, quotiescunque desiderant, consequuntur*. R.

37 *Tanta ut postulem visionem*. H.

38 Vox e castrensi disciplina ad militiam Christianam traducta est. *Commeatus*, inquit Festus, *est tempus quo iri redirique possit*. Alia auctorum et P. P. loca vide apud Holstenium.

39 Gratia apud eum valere, quales qui Principibus familiares sunt. H.

40 *Beneficio*. Cod. Salisb. R.

41 *Repromissionibus ejus dixi*. Cod. Salisb. R. Porro ejusmodi visionibus Martyres de proximo martyrio sæpius admonitos fuisse, affirmat Cyprianus passim, idemque testantur omnia fere acta genuina ex Africa. R.

42 In precibus ad Deum fusis.

43 *Auream*. Codex Compend. Salisb. vero et Corbejensis cum Victorino *Æream*. In Casinensi quo usus est H. hujus scalæ materies non exprimitur. R.

possent: et in lateribus scalæ omne genus ferramentorum[44] infixum. Erant ibi gladii, lanceæ, hami, machæræ: ut si quis negligenter, aut non sursum adtendens ascenderet, laniaretur, et carnes ejus inhærerent ferramentis. Et erat sub ipsa scala draco cubans miræ magnitudinis, qui ascendentibus insidias parabat[45], et exterrebat ne ascenderent[46]. Ascendit autem Saturus prior, qui postea se propter nos ultra tradiderat, et tunc cum adducti[47] sumus præsens non fuerat: et pervenit in caput scalæ, et convertit se[48], et dixit mihi: Perpetua, sustineo te[49]: vide ne te mordeat draco ille. Et dixi ego: non me nocebit in nomine Domine Jesu Christi, et de sub[50] ipsa scala, quasi timens me, lente ejecit caput: et quasi primum[51] gradum calcarem, calcavi illi caput. Et ascendi et vidi spatium horti immensum, et in medio sedentem hominem canum, in habitu pastoris[52]

---

44 Unci, vel certe amæ, quo nomine vocantur harpagines, i. e. maximæ falces, seu ferramenta recurva, longissimis contis affixa, ἐργαλεῖα σιδηρᾶ in Glossis. H. et R.

45 *Præstabat.* h. e. tendebat, struebat, moliebatur. Hujus generis locutiones apud Tertull. frequentissimæ. v. c. c. Marcion. IV. c. 35. ad Scapulam c. 2. etc. H.

46 De hac draconis visione agit Augustinus Sermone I. de his sanctis. R.

47 Tertull. de patient. c. 3. *Cum traditur, cum adducitur ut pecus ad victimum.* H.

48 *Ad me,* ut habet Editio Ruinarti.

49 ἐπέχω, ὑπομένω σε. Sic Vulgatus verbum Græcum vertit Tobiæ V. 9. et μένειν Matth. XXVI. 38. Actor XX. 5. Sustinere igitur est *exspectare.* Sic quoque acta passionis S. Cypriani: *Cum se Dalmatica expoliasset, in linea stetit, et coepit spiculatorem sustinere.* H.

50 Locos adduxit Holstenius, in quibus idem hoc *de sub* et similia leguntur; v. c. in actis S. Clementis P. P. *De sub cujus pede.*

51 *Lente elevavit caput, et cum primum.* R.

52 Perpetuæ repræsentatus est Christus ea forma, qua pictus cernebatur in vasis sacris illius temporis v. Tertullianum de pudicitia c. 7. et 10. Est idem hic Pastor bonus, quem sexcenties in anaglyphis et picturis, nec non, sed rarius, in gemmis et lucernis veterum Christianorum conspicimus: qua de re consulantur auctores *Romæ subterraneæ*, Bosius, Aringhius, Bottarius, aliique qui de antiquitatibus Christianis scripserunt, v. c. Bonarota, Boldettius, Mamachius, aliisque multi. Vide quoque librum nostrum: *Sinnbilder und Kunstvorstellungen der alten Christen* I. p. 60.

grandem, oves mulgentem: et circumstantes candidatos[53], millia multa. Et elevavit caput et aspexit me et dixit mihi: Bene venisti tegnon[54], et clamavit me[55], et de caseo, quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam[56], et ego accepi junctis manibus, et manducavi, et universi circumstantes dixerunt, Amen. Et ad sonum experrecta sum, commanducans adhuc dulcis nescio quid. Et retuli statim fratri meo, et intelleximus passionem esse futuram: et coepimus nullam jam spem in seculo habere[57].

5. Post paucos dies rumor cucurit ut audiremur. Supervenit autem et de civitate pater meus, consumtus tædio. Ascendit ad me ut me dejiceret[58], dicens: miserere, filia, canis meis; miserere patri; si dignus sum a te pater vocari: si his te manibus ad hunc florem ætatis provexi: si te præposui omnibus fratribus tuis; ne me dederis in dedecus hominum. Aspice fratres tuos: aspice matrem tuam et materteram: aspice filium tuum, qui post te vivere non poterit, depone animos[59], ne universos nos extermines[60]: nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. Hæc dicebat pater pro sua pietate basians mihi manus, et se ad pedes meos jactans: et lacrimis me non filiam

53 Albis vestibus indutos. Respicit Apocal. VII. 9. H.

54 *Τέκνον*. Salutatio quasi parentis ad filiam. H. Etsi rarius, aliquando tamen, *filiam* designat. R.

55 Indicium Latinitatis in vulgari usu corrumpi incipientis. H.

56 Augustinus vocat buccellam lactis. Montanistas casco loco panis fruitos esse in S. Coena vetus est calumnia. Inde dicti sunt *Ἀρτοτυρίται*. Haud vero dubie in Agapis, ii inprimis qui rure degebant, lacticiniis usi sunt. Cf. Walchii Hist. der Ketzereien I. p. 639.

57 Cyprianus de habitu Virginum: *Apud Martyres non est carnis et seculi cogitatio.* Multa alia P. P. loca collegit Holstenius.

58 Vide supra p. 229. Notam 18.

59 Spiritus s. affectiones vehementiores. Sic Tertull. de spectaculis: *Itur in furias et animos et discordias.* H.

60 Codd. Compend. et Salisb. *et noli nos universos exterminare.* Augustinus Perpetuam laudat sermone 2 de his sanctis, et in Psalm. XLVII. quod nec Christi præcepta nec naturæ leges ea in occasione violaverit. R.

nominabat, sed domina. Et ego dolebam canos[61] patris mei, quod solus passione mea gavisurus non esset de toto genere meo[62]: et confortavi eum, dicens: hoc fiet in illa catasta[63], quod Deus voluerit; scito enim nos non in nostra potestate esse constitutos, sed in Dei; et recessit a me contristatus.

6. Alio die, cum pranderemus, subito rapti sumus ut audiremur: et pervenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit, et factus est populus immensus[64]. Ascendimus in catasta. Interrogati cæteri, confessi sunt[65], ventum est et ad me, et apparuit pater illico cum filio meo, et extraxit me de gradu[66], supplicans; miserere infanti[67]. Et Hilarianus Procurator, qui tunc loco Proconsulis Minucii Timiniani defuncti jus gladii acceperat, parce, inquit, canis patris tui: parce infantiæ pueri, fac sacrum pro salute Imperatorum[68].

---

61 Sic Codd. Ruinarti, quorum lectionem præfero Holstenianæ *causam* vel, ut illi magis adridet, *causa*.

62 Ex his verbis videtur constare, et virum et matrem et fratres omnes et cognatos Perpetuæ (excepto uno patre) fuisse Christianos. H.

63 Catasta proprie erat locus editior, in quo servi venales exponebantur, *ἀπὸ τοῦ καταςῆναι*, id est *ab exponendo*, dictus. Martyres similiter in loco edito ostensos fuisse populo, quum judicarentur aut torquerentur, annotat Pamelius ad epist. 33 Cypriani. Usurpabatur quoque de equuleo, tormenti genere. Sic Prudentius Hymno 1. *περὶ ςεφάνων. Post vim crepantum, post catastas igneas.* Sed hæc posterior notio huc non facit. H.

64 Immensa populi turba congregata est. H.

65 Se Christianos esse. Sic Eusebius H. E. XIV. c. 15. *Πολύκαρπος ὡμολόγησε ἑαυτὸν Χριςιανὸν εἶναι.* H.

66 Gradus fuisse videtur locus altior in Catasta, quem singuli rei ordine conscendebant, ut judici populoque eo magis essent conspicui. Sic apud Eusebium H. Eccl. VIII. c. 9. et V. c. 1. in utroque loco *βῆμα* appellatur, a tribunali, in quo judex sedebat, bene distinguendum. Dionysio Alexandrino apud eundem Euseb. VI. c. 41. *βάθρον* audit. H.

67 Uterque Ruinarti Codex pro *infanti* habet *canos meos.*

68 Hanc præcipuam explorandi rationem a Gentilibus usurpatam, omnium fere Martyrum acta docent, ut repudiata sacrificandi superstitione in Deos simul et Principem commisisse convinceretur. H.

Et ego respondi: non facio[69]. Hilarianus, Christiana es, inquit, et ego respondi: Christiana sum[70]. Et cum staret pater ad me dejiciendam, jussus est ab Hilariano dejici: et virga percussus est[71], et doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuissem percussa: sic dolui pro senecta ejus misera. Tunc nos universos pronunciat, et damnat ad bestias[72], et hilares descendimus ad carcerem[73]. Tunc quia consueverat a me infans mammas accipere, et mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium Diaconum, postulans infantem. Sed pater dare noluit[74], et quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desideravit; neque mihi fervorem fecerunt, ne sollicitudine infantis et dolore mammarum macerarer.

---

69 *Hæc*, inquit Tertull. *est lex nostra propria Christianorum, per quam ab Ethnicis agnoscimur et examinamur.* De Idol. c. ult. Unde foculum et acerram *examinatorem Christianorum* appellat, Apolog. c. 9. Ut Perpetua, ita quoque Polycarpus suadentibus, ut Cæsarem Dominum appellaret et sacrificaret, respondit, *οὐ μέλλω πράττειν ὃ συμβουλεύετέ μοι.* Euseb. H. Eccl. IV. 15. H.

70 Hisce verbis omnes fere Martyres responderunt. S. Blandina inquit: Christiana sum. Item S. Diaconus ejus socius. Miles a Tertulliano laudatus quod coronam abjecisset, *causas expostulatus, Christiaanus sum, respondit.* H.

71 Sic codices Ruinarti. Holstenius habet *percussit*, id quod intelligendum foret de Hilariano patrem Perpetuæ virga feriente. Displicet. Augustinus Serm. 2. de his sanctis, id Diaboli malitiæ tribuit, *qui undique* (a Perpetua) *superatus, patrem ejus virga percuti fecit, ut cujus verba contemserat, saltem verba condoleret.* R. Hoc ex loco apparet, patrem Perpetuæ, etsi honesto loco natum, haud fuisse civem Romanum, quia alias Hilarianus, quum eum verberare juberet, legem Porciam de tergo civium vehementer violasset. Vide Interpretes ad Actor. XXV. 11.

72 Etsi Romæ et alibi frequenter ad bestias Christiani damnabantur, tamen in Africa præcipue hoc suplicii genere in eos sævitum fuisse, in Severi maxime persecutione, ex multis Tertulliani testimoniis constat. H. Vide quæ hanc in rem CAP. XXVI. p. 172. notavimus.

73 Christiani damnati, ut ait Tertullianus, gratias agere solebant, et magis damnati quum absoluti gaudebant. H. *Ago gratias* sæpe legitur in actis Martyrum.

74 Credibile est, patrem Ethnicum ad negandum filiæ infantem, quo tempore lac sumere debebat, motum fuisse, ne ex damnata jam sacrilegii matre contagio quædam in prolem propagari videretur. H.

7. Post dies paucos, dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox, et nominavi Dinocratem[75]: et obstupui quod numquam mihi in mentem venisset nisi tunc, et dolui commemorata casus ejus, et cognovi me statim dignam esse[76], et pro eo petere[77] debere[78]. Et coepi pro ipso orationem facere multum, et ingemiscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc. Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi et complura erant loca tenebrosa[79], æstuantem valde et sitientem[80], sordido vultu, et colore pallido; et vulnus in facie ejus, quod, cum moreretur, habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis[81], annorum septem; qui per infirmitatem facie cancerata[82] male obiit, ita ut mors ejus odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram[83], et inter me et illum grande erat diadema[84]: ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde, ubi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri, et

---

75 Videtur dicere, sibi oranti indeliberatam vocem subito excidisse Dinocratem nominanti, de quo dudum non cogitaverat. H.

76 Sensu fiduciæ interioris intellexi me omnino exaudiendam, si pro Dinocrate orarem.

77 *Pati.* Cod. Salisb. R.

78 Sperat, se in tanta apud Deum gratia esse, ut impetrare quidquid possit. H.

79 *Ubi et complures erant.* R.

80 Hæc Holstenius intelligi de purgatorio, cujus tamen sec. III. ineunte nulla in ecclesia facta est mentio. Nec opus ad explicandum hunc locum. Dinocrates enim, puer septennis, haud dubie sine baptismo mortuus erat, hinc felicitatis nondum compos. Appetebat vero baptismum, ut ex visione Perpetuæ patere videtur. Hinc nata ejus spes, preces suas pro eo haud irritas futuras esse.

81 Sic Afri vulgo loquebantur. Augustinus Epist. 225. *Neque hoc inviderunt ecclesiæ Tagastensi, quæ carnalis patria mea est.* H.

82 Cancer priscis Latinis idem sonat quod Gangræna. Marcellus. *Gangræna est cancer.* Græcis *καρκίνωμα*. Plura vide apud Holstenium, p. 139. Cod. Salisb. habet *maccrata.* R.

83 Africana locutio. Apud Tertullianum legitur *facere preces.* H.

84 Haud dubie *Diastema.* *διάστημα*, quod apud scriptores Latinos occurrit. H. Est idem quod *χάσμα*, quo Inferi a sinu Abrahami separantur, Luc. XVI. 26. Cf. Tertull. de anima c. 7. S. de idolol. c. 13.

extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod et piscina illa aquam habebat, et tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset[85]. Et experrecta sum, et cognovi fratrem meum laborare. Sed fidebam[86] me profuturam labori ejus, et orabam pro eo, quousque transivimus in carcerem castrensem[87]; munere enim castrensi[88] eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæsaris[89], et feci pro illo orationem[90] die et nocte, gemens et lacrimans, ut mihi donaretur.

8. Die[91] quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc. Video locum illum quem retro videram, et Dinocratem, mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem: et ubi erat vulnus, video cicatricem; et piscinam illam, quam retro videram, summisso margine usque ad umbilicum pueri: et aquam de ea trahebat sine cessatione, et super margine fiala aurea, plena aqua, et accessit Dinocrates, et de ea bibere coepit: quæ fiala non deficiebat; et satiatus abcessit de aqua, ludere more infantium gaudens, et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de poena[92].

---

85 Per piscinam aquam lustralem, per potum baptismum intelligit; altitudo vero marginis, qua impediebatur ne biberet, indicat causas, cur Dinocrates ante mortem baptismo initiatus haud fuerit.

86 Cod. Salisb. *Considerabam.* R.

87 In carcerem in ipso castrorum loco positum. H. Cæteri codices unice habent carcerem. R.

88 Quum castra Romana extra urbes, longa et quasi perpetua statio militum essent, in ea transferebantur præcipua civitatum commoda, ne iis milites fraudarentur. In his etiam spectacula, quibus mire dediti Romani erant. *Munus* vero significat pugnam, vel gladiatorum inter se, vel bestiarum cum hominibus morti addictis, quæ proprie *θηριομαχεῖν* dicitur. Ita quod apud Eusebium H. E. V. c. 1. *θηριομαχιῶν ἡμέραι*, eleganter a Rufino vertuntur *Munerum dies.* H. Metaphorice eodem verbo utitur Paulus Apostolus 1 Cor. XV. 32. Vide quoque CAP. XXIX. p. 208.

89 Ibid.

90 Vocem *aurea* omittunt codices, quibus usus est Ruinartus.

91 Codices Ruinarti addunt: *autem.*

92 Preces viventium a Deo impetrare posse, ut animæ defunctorum *refrigerium et in prima resurrectione consortium* accipiant, statuit Tertullianus de monog. c. 10.

9. Deinde post dies paucos Pudens[93], miles Optio[94], prepositus carceris, qui nos magni faciebat, coepit intelligere magnam virtutem esse in nobis[95]; qui multos ad nos admittebat[96], ut et nos et illi invicem refrigeraremus. Ut autem proximavit dies muneris, intrat ad me pater meus conssumptus tædio, et coepit barbam suam evellere, et in terram mittere, et prosternere se in faciem, et improperare annis suis, et dicere tanta verba, quæ moverent universam creaturam. Ego dolebam pro infelici senecta ejus.

10. Pridie quam pugnaremus, video in horomate[97] hoc: venisse Pomponium Diaconum ad ostium carceris, et pulsare vehementer, et exivi ad eum, et aperui ei: qui erat vestitus distinctam candidam, habens multiplices calliculas[98].

---

93 Cod. Salisb. *Prudens.* R.

94 *Optio*, Præfectus carceris, δεσμοφύλαξ. Actor. XVI. 27. Nomen in Inscriptionibus interdum occurrens. Sic AVRELIO CANDIDO FILIO DVLCISSIMO Q. V. ANN. IIII AVRELIVS CALANDINVS MIL. COH. VIII. PR. OPT. G. SECVNDI. B. M. F. ap. Holsten. p. 148. Et in titulo Mausolei, quem in ruderibus Coloniæ Scillitanæ descripsit Shawius (Itin. edit. Gallicæ p. 263) MILITAVIT L. ANNIS IV IN LEG II ... LIB ... TESSER. OPTIO SIGNIFER ..... FACTVS EX SVFFRAGIO LEG E ..... &c. addunt Acta explicandi gratia verba *Præpositus Carceris.*

95 Cod. Ruinarti: *qui nos magni facere coepit, intelligens, magnum virtutem Dei esse in nobis.*

96 Hæc erat *custodia delicata*, ut vocat Pontius in vita Cypriani, opposita *custodiæ diligenti*, de qua Cujacius Observat. XIV. c. 34. et Heraldus ad Tertull. apolog. p. 97. H.

97 Ἐν ὁράματι. Actor. XII. 9. Latini scriptores hac voce rarius utuntur. Exempla collegit Holstenius p. 149.

98 Cod. Salisb. *Galliculas.* Videntur esse globuli, ut malogranata, quæ vesti summi Pontificis apud Judæos appendebantur. R. In Paralipomenis p. 192. excitat Holstenius Glossarium vetus, in quo ἰροχὰς *callicula*, additque: videntur fuisse calliculæ appendices rotundæ ornatus causa additæ capitibus militarium thoracum, in acumen desinentes. Hæ poterant ex bysso, purpura, aut simili materia esse, interdum e metallo, ut habetur infra: *habens calliculas multiformes ex auro et argento factas.* In Glossario manuali du Cangiano III. 732. *Glossa antiqua habet: Gallicula signum vestis.* In picturis quoque Christianis cernuntur. Vide Bottari Roma sotterranea Tab. LIX. Aringhi Roma subterr. II. p. 117. no. 5.

Et dixit mihi: Perpetua, te expectamus, veni. Et tenuit mihi manum, et coepimus ire per aspera loca et flexuosa. Vix tandem pervenimus anhelantes ad amphitheatrum, et induxit me in media arena, et dixit mihi: Noli pavere, hic sum tecum, et conlaboro tecum, et abiit. Et adspicio populum ingentem attonitum, et quia sciebam me ad bestias datam esse, mirabar quod non mitterentur mihi bestiæ. Et exivit quidam contra me Aegyptius, foedus specie[99], cum adjutoribus suis, pugnaturus mecum. Veniunt et ad me adolescentes decori, adjutores et favitores mei, et exspoliata sum, et facta sum masculus. Et coeperunt me favitores mei oleo[100] defrigere[101], quomodo solent in agonem, et illum contra Aegyptium video in afa volutantem. Et exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam excederet fastigium amphitheatri, discinctatus purpuram[102] inter duos clavos per medium pectus, habens calliculas[103] multiformes ex auro et argento factas, efferens virgam quasi lanista[104], et ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petiit silentium[105], et dixit: Hic Aegyptius, si hanc vicerit, occidet illam gladio: et si hunc vicerit, accipiet ramum istum[106]; et recessit. Et

---

99 Plautus in Poenulo. *Itaque replebo acritate, atrior multo ut siet quam Ægyptii.* Ausonius:

Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci
Ægyptius choraules. H.

De hac visione agit Augustinus de origine animæ ad Vincentium libro III. c. 18. Vide et sermonem 282 novæ editionis (Maurinæ). R.

100 Cod. Compend. et Salisb. *aqua*, sed melius *afa*, s. *apha*, aut *hapha*, i. e. pulvis, quo pugiles post unctionem inspergebantur. Huc citant Martialem Epigr. VII. 66. R.

101 *Defricare* Cod. Salisb. R.

102 *Discinctam habens tunicam et purpuram.* Codd. Ruinarti. Purpuream vestem gerens, clavis duobus s. fasciis distinctam sine zona. Gymnasiarcharum erat pupurea vestis. H.

103 *Galliculas.* Cod. Salisb. R.

104 Lanistæ, s. præfecti ludi gladiatorum virgas tenebant, quasi censores, ne ordo perturbaretur. R. Palæstræ moderatores easdem gerebant. H.

105 Per Præconem aut Tibicinem. H.

106 Non solum Gymnasiarchæ sed et Brabeatæ, præmiatoris personam gerebat. Brabeutæ enim, ut habet Etymologicum M. dicuntur quasi Rhabdeustæ, h. e. virgarum et surculorum largitores. Hi enim palmæ vel similis arboris ramos dabant, insignia victoriæ. H.

accessimus ad invicem, et coepimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere volebat[107]: ego autem illi calcibus faciem cædebam, et sublata sum in aëre, et coepi eum sic cædere terram concalcans. At ubi vidi moram fieri, junxi manus, ut digitos in digitos mitterem[108]: et apprehendi illi caput, et cecidit in faciem: et calcavi illi caput. Et coepit populus clamare, et favitores mei psallere. Et accessi ad lanistam[109], et accepi ramum. Et osculatus est me, et dixit mihi: Filia, pax tecum, et coepi ire cum gloria ad portam Sanavivariam[110]. Et experrecta sum, et intellexi me non ad bestias, sed contra Diabolum esse pugnaturam, sed sciebam mihi esse victoriam[111]. Hoc usque in[112] pridie muneris egi: ipsius autem muneris actum, si quis voluerit, scribat.

VISIO SATVRI.

11. Sed et Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit. Passi, inquit, eramus, et exivimus de carne, et coepimus ferri a quatuor angelis in orientem, quorum manus nos non tangebat. Ibamus autem non supini sursum versi, sed quasi mollem clivum[113] ascendentes, et liberato primo mundo[114] vidimus lucem immensam; et dixi Perpetuæ (erat enim hæc

---

107 *Quærebat.* Codices Ruinarti.

108 Significat, se in altum sublatam, ut certantem secum pugilem in terram dejiceret, compectinatis utriusque manus digitis, ejus verticem ambabus palmis in unum junctis magno impetu depressisse; unde contigit Ægyptium in faciem cadere H. in Paralip. p. 193.

109 Quem Gymnasiarcham potius et Brabeutam indicaverat, jam Lanistam vocat, non sine catachresi forte quadam. H.

110 Bis hujus portæ fit mentio. Erat in Amphitheatro. Duæ in hujusmodi ædificiis erat portæ majores. Fuisse hæc videtur illa, quæ ad forum ducebat eos qui *sani* et *vivi* arenæ periculis superfuerunt. Cæterum istud nomen hoc saltem in loco occurrit, nec a Lipsio in libro de Amphitheatro c. 21. commemoratur. H. in Paralipom. p. 194.

111 *Mihi victoriam imminere.* Cod. Ruinarti.

112 Rectius dixisset *ad* pridie muneris. H.

113 Cod. Comp. *glebam.* R.

114 *Et liberati primam jam vidimus lucem immensam.* Cod. Salisb. *et liberati primum jam mundo videmus lucem immensam.* Comp. R. Liberato, ut Holstenius habet, est *transmisso, superato mundo.* Vel *nobis primum mundum jam egressis, aut supergressis.* H.

in latere meo). Hoc est quod nobis Dominus promittebat: percepimus promissionem. Et dum gestamur ab ipsis quatuor angelis, factum est nobis spatium grande, quod tale fuit quasi viridarium[115], arbores habens rosæ, et omne genus flores. Altitudo arborum erat in modum cypressi, quarum folia cadebant[116] sine cessatione. Ibi autem in viridario alii quatuor angeli fuerunt clariores ceteris, qui, ubi viderunt nos, honorem nobis dederunt[117], et dixerunt cæteris angelis: Ecce sunt, ecce sunt; cum admiratione[118]. Et expavescentes quatuor illi angeli, qui gestabant nos, deposuerunt nos: et pedibus nostris transivimus stadium via lata[119]: ubi invenimus *Jocundum,* et *Saturninum*[120], *et Artaxium,* qui eadem persecutione vivi arserunt[121]; et *Quintum*, qui et ipse martyr in carcere exierat[122], et quærebamus de illis, ubi essent ceteri. Angeli dixerunt nobis[123]: Venite prius, introite, et salutate Dominum.

12. Et venimus prope locum, cujus loci parietes tales erant quasi de luce ædificati, et ante ostium loci illius quatuor angeli stabant, qui introeuntes

115 De hoc viridario fuse agit auctor sermonis, quem Holstenius sub nomine Augustini in Bibliotheca Vaticana reperit, qui nunc ultimus est dubiorum in nova editione. R.

116 Cod. Salisb. *ardebant.* R.

117 Cod. Salisb. *qui ibi viderunt nos et honorem.* R.

118 Cod. Salisb. et Compend. *Ecce sunt. Expavescentes cum admiratione quatuor illi angeli, qui stabant, deposuerunt nos.* R.

119 Omnino legendum *via lata* loco *violata*, ut habuit Holstenii Codex. Solebant in hortis et porticibus ambulacra stadiis dimetiri; inde porticus stadiatæ dictæ Vitruvio V. c. 9. H.

120 In Codd. Compend. et Salisb. deest *Saturninum.* R.

121 Tale supplicium passim occurit in historia Persecutionum. Populus Smyrnensis petiit Polycarpum ζῶντα κατακαῦσαι. In persecutione Alexandrina sub Decio frequens fuit vivicomburium. Euseb. H. E. VI. c. 34. Summum erât supplicium apud Romanos, quo servi, nonnunquam etiam liberi plebeji et humiles personæ, quales Christiani habiti sunt, adficiebantur. H.

122 *Exire,* discedere, abscedere, i. e. mori. Sic sæpius apud scriptores ecclesiasticos. H.

123 *Dixerunt autem nobis Angeli* Cod. Salisb. R.

vestierunt stolas candidas. Et introivimus, et audivimus vocem [124] unitam dicentem: Agios, Agios, Agios, sine cessatione. Et vidimus in eodem loco sedentem quasi hominem canum, niveos habentem capillos[125], et vultu juvenili; cujus pedes non vidimus, et in dextra et in sinistra seniores quatuor; et post illos ceteri seniores complures[126] stabant. Et introeuntes cum admiratione stetimus ante thronum[127], et quatuor angeli sublevarunt nos: et osculati sumus illum, et de manu sua trajecit nobis in faciem[128]. Et cæteri seniores dixerunt nobis: Stemus; et stetimus, et pacem fecimus. Et dixerunt nobis seniores: Ite et ludite. Et dixi Perpetuæ[129]: habes quod vis, et dixit mihi: Deo gratias, ut quomodo in carne hilaris fui, hilarior sum et hic modo.

13. Et exivimus, et vidimus ante fores Optatum Episcopum [130] ad dexteram, et Aspasium Presbyterum doctorem [131] ad sinistram, separatos et tristes, et miserunt se ad pedes nobis, et dixerunt: Componite inter nos, quia existis [132], et sic nos [133] reliquistis[134]. Et diximus illis: Non tu es Papa [135] noster, et tu Presbyter, ut vos ad pedes nobis mittatis? et moti sumus [136]; et complexi illos sumus. Et coepit Perpetua cum illis loqui[137], et segregavimus eos

---

124 Codd. Ruinarti omittunt *et introivimus;* habent quoque *dicentium.*

125 Apocalyps. I. 14.

126 Codices Ruinarti *ceteri complures.*

127 *Introivimus cum magna admiratione et stetimus ante thronum.* R.

128 *In facie.* R.

129 Codd. Ruinarti; *et dixi: Perpetua.*

130 Carthaginiensem credo Episcopum. Vide CAP. VII.

131 Doctorem Catechumenorum. De hisce doctoribus loquitur Dionysius Alexandr. apud Euseb. H. E. VII. 24. *Συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν.* H.

132 Sc. e vita.

133 Sic Codd. Ruinarti, quorum lectionem præfero. Holstenius habet *non reliquistis.* Mortui estis, dicunt Optatus et Aspasius; itaque nos his in terris reliquistis.

134 De causa dissidiorum inter Optatum et Aspasium nil plane constat; nec juvat conjecturis indulgere.

135 Nomen commune illa ætate Episcopis datum. Cod. Salisb. *Nonne tu pater noster es?* R.

136 Codd. Ruinarti: *ut quid vos ad pedes nostros mittatis, et misimus nos.* R.

137 Cod. Salisb. et Compend. *et coepit Perpetua Græce cum illis loqui.*

in viridarium[138] sub arbore rosæ. Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis angeli: Sinite illos, refrigerent[139]: et si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem, et conturbaverunt eos. Et dixerunt Optato: Corrige plebem tuam[140]: quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes, et de factionibus[141] certantes[142]. Et sic nobis visum est, quasi vellent claudere portas. Et coepimus illic multos fratres cognoscere[143], sed et martyras: universi odore inenarrabili alebamur, qui nos satiabat. Tunc gaudens experrectus sum.

14. Hæ visiones insigniores ipsorum Martyrum beatissimorum Saturi et Perpetuæ, quas ipsi conscripserunt. Secundulum vero Deus maturiore exitu de seculo, adhuc in carcere, evocavit: non sine gratia, ut bestias lucraretur, gladium[144] tamen, etsi non anima, certe caro ejus agnovit.

15. Circa Felicitatem vero et illi gratia Domini ejusmodi contigit. Cum octo jam menses suum ventrem haberet (nam prægnans fuerat apprehensa), instante spectaculi die in magno erat luctu[145], ne propter ventrem differretur[146]; quia non licet prægnantes poenæ representari[147]: et ne inter alios[148] postea sceleratos sanctum et innocentem sanguinem funderet. Sed et commartyres graviter contristabantur, ne tam bonam sociam quasi comitem solam in via

---

138 Iid. codices *Viridario.*

139 Iid codd. *quiescite et refrigerate.*

140 Reprehensio Episcopi negligentis aut errantis. Sic in Apocalypsi episcopi quidam arguuntur. H. in Paralipom.

141 Holstenius: *defatigationibus.*

142 Verba sunt de dissidiis Optati et Aspasii, quibus Holstenius Tuburbitanam ecclesiam vexatam fuisse statuit, mihi potius uterque fuisse videtur Carthaginiensis, litesque Carthagine actæ. Huc respiciunt quoque Angelorum verba, quæ paulo superius legimus: *Si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem.*

143 Cod. Compend. *cognoscere Martyres, ubi odore.*

144 Cod. Ruinarti: *gaudium.* Sed melior Holstenii lectio, ita tamen ut *anima* et *caro* transponantur. Sententia hausta videtur ex Luc. II. v. 35.

145 Cod. Salisb. in *magna lucta* 2. R.

146 Ita Pontius Diaconus de S. Cypriano: *Vir tam necessarius a martyrii consummatione dilatus est.* H.

147 Lex fuit Aegyptiorum, *prægnantem, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat.* Eadem Græcis fuit Romanisque; de quibus omnibus adeas Holstenium.

148 *Aliquos* Codd. Ruinarti.

ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum[149]: Quæ modo doles, quid facies objecta bestiis, quas contemsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: Modo ego patior quod patior: illic autem alius erit in me, qui patietur pro me[150], quia et ego pro illo passura sum. Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit[151].

16. Quoniam ergo permisit, et permittendo voluit Spiritus Sanctus ordinem ipsius muneris conscribi, etsi indigni ad supplementum tantæ gloriæ describendum, tamen quasi mandatum sanctissimæ Perpetuæ, immo fidei commissum ejus exequimur[152]: unum adjicientes documentum de ipsius constantia et animi sublimitate. Cum a Tribuno castigatius eo tractarentur[153]; quia ex admonitionibus hominum vanissimorum verebatur, ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis[154]; in faciem ei respondit: Quid utique non permittis refrigerare noxiis, Nobilissimi Cæsaris[155] scilicet, et natali ejusdem

---

149 Cataractæ sunt fortiores quædam portæ, quæ catenis levantur et demittuntur; ut habentur in urbium aut arcium januis. Qui eis deputati erant, dicebantur *catarractarii.* Hæ vel olim vinctis custodiendis adhibebantur; unde et καταράκτης pro carcere ponitur apud LXX. Jerem. XX. 2. in quem locum vide Origenis Homil. 18. H.

150 Nempe Christus in Martyribus patiens. H.

151 De præmaturo Felicitatis partu præclara habet Augustinus Sermone 281 novæ editionis (Benedictinorum). R.

152 Nempe supra c. 10. Perpetua dixit: *ipsius autem mnneris actum, si quis voluerit, scribat.* R.

153 Cod. Salisb. et Compend. *Avia tribuno castigante eos et male tractante, quoniam ex admonitionibus etc.* Tribunus ægre permittebat, ut cibi inferrentur, unde Christiani diariis solito tenuioribus pascebantur. Sic Tertulliano *castigatio victus*, jejunium aut cibus parcior. H.

154 Sic S. Ignatius ep. ad Philippenses queritur de συκοφαντίᾳ μαγείας, Christianis impacta. H.

155 *Noxios*, κακούργους, Christianos dicit Gentilium sensu verboque, licet innocentes. *Nobilissimus*, appellatio filiorum Imperatoris natu minorum propria. *Cæsaris*, Getæ.

pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur[156]? Horruit, et erubuit Tribunus; et ita jussit illos humanius haberi[157], ut fratribus ejus et ceteris facultas fieret introeundi, et refrigerandi cum eis; tamen ipso[158] Optione carceris credente.

17. Pridie quoque cum illa coena, quam liberam vocant[159], quantum in ipsis erat, non coenam liberam, sed agapen coenarent[160], eadem constantia ad populum verba ista jactabant, comminantes judicium Domini, contestantes passioni suæ felicitatem[161]; irritantes[162] concurrentium curiositatem, dicente Saturo: Crastinus satis vobis non est, quod libenter videtis, quod odistis, hodie amici, cras inimici[163]. Notate tamen vobis facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in die illo. Ita omnes[164] inde attoniti discedebant: ex quibus multi crediderunt.

PASSIO VT SVPRA.

18. Illuxit dies victoriæ illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum quasi in coelum hilares, vultu decori[165]; si forte, gaudio paventes,

---

156 *Natalis,* dies annuus in memoriam ejus in Cæsarem adlectionis celebratus. Cod. Salisb. et Compend. *Quia natali ejus sumus pugnaturi.* H. R.

157 *Manibus hiberi* habet H. emendationem proponit: *cohiberi*, sed longe melior Ruinarti lectio.

158 *Jam et ipso.* Codd. Ruinarti.

159 Mos erat, eos, qui vel poenæ causa ad gladitorium aut venatorium ludum dati essent, aut sponte se iisdem addicerent, saginari prius a magistris ludi, ut habitiores ac valentiores producerentur. Sic Quintilianus declamat. IX. *Alebat devotum corpus gravior omni fame sagina.* H.

160 Qui ad bestias damnati erant, coenabant lautissime, omnibus qui cupiebant præsentibus (Tertull. Apol. c. 42.), quæ *coena libera* appellatur, quam Christiani nostri in Agapen commutabant. H. *Agapen coenare* familiaris est Tertulliano loquendi modus R.

161 Cod. Salisb. *passiones suas et felicitatem* R.

162 *Irridentes.* Codd. R.

163 *Ubi bestiarii in arenam producti sunt, populus de spectatore in adversarium vertitur.* Seneca de Ira I. c. 2. quem etiam vide de Tranquillitate c. 10. H.

164 *Multi.* Codd. R.

165 Sic quoque Martyres Viennenses et Lugdunenses ap. Euseb. H. E. V, I. H.

non timore. Sequebatur Perpetua lucido incessu, ut matrona Christi, ut Dei delicata[166]: vigore oculorum dejiciens omnium conspectum; item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine ab obstetrice ad retiarium lotura post partum baptismo secundo[167]. Et cum ducti[168] essent in portam, et cogerentur habitum inducere, viri quidem sacerdotum Saturni[169]; feminæ vero sacratarum Cereri[170], generosa illa in finem usque constantia repugnavit[171]. Dicebat enim: Ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra obduceretur[172]: ideo animam nostram[173] adduximus[174], ne tale aliquid faceremus; hoc vobiscum pacti sumus. Agnovit injustitia justitiam. Concessit Tribunus, ut, quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua[175] psallebat, caput jam Aegyptii calcans. Revocatus, et Saturninus, et Saturus populo spectanti comminabantur de hoc. Ut sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu et nutu coeperunt Hilariano dicere: Tu nos, inquiunt; te autem Deus judicabit. Ad hoc populus exasperatus[176] flagellis eos vexari pro ordine

---

166 *Sequebatur Perpetua placido vultu et pedum incessu, ut matrona Christi Dei dilecta: vigorem oculorum suorum dejiciens ab omnium conspectu.* Codd. R.

167 Martyrio.

168 *Delati.* Codd. R.

169 Lactantius VI. c. 20. *Venationes, quæ appellantur munera, Saturno sunt attributæ.* Noxii ut hostiæ humanæ Saturno ex prisco Phoenicum more offerebantur. Coccineum erat Sacerdotum Saturni pallium. Tertull. de testimon. animæ c. 2. de Pallio c. 4. H.

170 Sacratæ Cereris vitta erant redimitæ. Tertull. de test. animæ c. 2. H.

171 Tertullianus de idolol. c. 18. inter cetera Idolotatriæ genera, habitus quoque inquinatos fideli recusandos docet. H.

172 *Obducere*, usitata Afris locutione, est offuscare, obscurare, imminuere, violare, lædere. Ita sæpe Tertullianus. v. c. Apolog. c. 50.

173 *Animas nostras.* Cod. Salisb. R.

174 Legendum forte *addiximus*, h. e. capitali supplicio subjecimus. Sed lectio vulgata defendi satis potest, quum *adducere* sit προσάγειν sensu *offerendi.* H.

175 Perpetuæ nomen omittit Holstenius, nos ex Codd. Ruinarti restituimus.

176 Seneca de Ira I. c. 2. *Quid gladiatoribus? quare populus irascitur, et tam inique, ut injuriam putet, quod non libenter pereunt? Contemni se judicat, et vultu, gestu, ardore, de spectatore in adversarium vertitur.* H.

venatorum [177] postulavit. Et utique illi gratulati sunt, quod aliquid et de Dominicis passionibus essent consecuti [178].

19. Sed qui dixerat: petite, et accipietis [179], petentibus dederat eum exitum, quem quisque desideraverat. Nam si quando inter se de martyrii sui voto sermocinabantur, Saturninus quidem omnibus bestiis velle se objici profitebatur; ut scilicet gloriosiorem gestaret coronam [180]. Itaque in commissione spectaculi ipse et Revocatus [181] leopardo expertus, etiam super pulpitum ab urso erat vexatus [182]. Saturus autem nihil magis quam ursum abominabatur: sed uno morsu leopardi confici se jam præsumebat. Itaque cum apro subministraretur, venator potius, qui illum apro subligaverat [183], subfossus ab eadem bestia post dies muneris obiit. Saturus solummodo tractus est. Et cum ad ursum substrictus esset [184] in ponte [185], ursus de cavea [186] prodire noluit [187]. Itaque secundo Saturus inlæsus revocatur.

---

177 Stabant venatores cum flagris longa serie dispositi; ante quos damnati transire coacti, a singulis transeuntes cædebantur. R. A præside vero populus eos vexari poposcit; qui de plano fustium aut flagellorum castigationem irrogare poterat. I. 9. §. 3. ff. de offic. Proconsulis. H. R.

178 Dominus quippe flagellis quoque cæsus fuit. R.

179 Joh. XVI. 14.

180 *Majora certamina majora sequuntur præmia.* Tertull. H.

181 Verba *ipse et* addita sunt ex Cod. Comp. Nil de Saturnini passione habebatur omissione harum vocum. R.

182 De Ursis in Africa vide CAP. XXIX. p. 210. not. 11.

183 Subministraverat. R.

184 Hæc et præcedentia, *illum apro subligaverat,* significant, bestiarios alligari, ne fugerent, solitos, ante conspectum ferarum in ipsos immittendarum. H.

185 Xiphilinus refert in Commodo: hunc Imperatorem per Amphitheatri arenam pontem struxisse, ut inde feras conficeret. H.

186 Caveæ nimirum variæ feris asservandis circa arenam erant, et inde immittebantur. Lipsius de Amphitheatro. p. 20. H.

187 In utroque Ruinarti Cod. adduntur verba: *Pudens miles de industria efferatorum adfirmasset portas putris carnibus, magis ne mitteretur efficit, ita secundo* etc. quæ haud intelligo.

20. Puellis autem ferocissimam vaccam[188], ideoque præter consuetudinem comparatam[189] diabolus præparavit: sexui earum etiam de bestia æmulatus. Itaque despoliatæ et reticulis indutæ[190] producebantur[191]. Horruit populus, alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recentem stillantibus mammis. Ita revocatæ, et discinctis[192] indutæ, prior Perpetua jactata est: et concidit in lumbos, et ubi sedit[193], tunicam a latere discissam ad velamentum femoris reduxit; pudoris potius memor quam doloris. Dehinc requisita[194], et dispersos capillos infibulavit: non enim decebat Martyrem sparsis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. Ita surrexit, et elisam Felicitatem cum vidisset, accessit, et manum ei tradidit, et suscitavit illam. Et ambæ pariter steterunt: et populi duritia devicta revocatæ sunt in portam Sanevivariam. Illic Perpetua a quodam tunc Catechumeno, Rustico nomine, qui ei adhærebat, suscepta, et quasi a somno expergita, (adeo in Spiritu et in extasi fuerat), circumspicere coepit: et instupentibus omnibus ait: Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescio[195]. Et cum audisset quod jam evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore habitu suo recognovisset, et illum Catechumenum. Exinde accersitum fratrem suum et illum Catechumenum[196] allocuta est, dicens: In fide state, et invicem omnes diligite; et passionibus nostris ne scandalizemini.

---

188 L. I. §. Bestias ff. de post. *Bestias accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere.* H.

189 *Paratam.* Holst.

190 Ita S. Blandina post varia tormentorum genera εἰς γύργαθον βληθεῖσα ταύρῳ παρεβλήθη. Euseb. H. E. in Epist. Lugd. ecclesiæ.

191 In utroque Ruinarti codice *dispoliatæ promovebantur.*

192 *Ita revocatæ discinguntur* R.

193 Codd. R. *et ut conspexit.*

194 Hoc est: post exceptum furentis vaccæ impetum, et quasi post pugnam jam depugnatam, a venatoribus atque arenariis revocata, et, ut Eusebius loquitur, ἐκ θηρίων αὖθις ἀναληφθεῖσα. H.

195 Codd. mss. *nescio quam? Ubi erat,* inquit Augustinus, Serm. 280, *quando ad asperrimam vaccam se pugnare non sensit?* R.

196 In Codd. mss. desunt hæc verba: *et illum Catechumenum.* R.

21. Item Saturus in alia porta militem Pudentem[198] exhortabatur, dicens: adsum[199], inquit, certe, sicut præsumpsi et prædixi; nullam usque adhuc bestiam sensi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consumor. Et statim in fine spectaculi leopardo ejecto, de uno morsu tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit: Salvum lotum, salvum lotum[200]. Plane utique salvus erat, qui hoc modo laverat[201]. Tunc Pudenti militi, Vale, inquit, et memor esto fidei meæ; et hæc te non conturbent, sed confirment. Simulque annulum[202] de digito ejus petiit, et vulneri suo mersum reddidit ei, hereditatem pignoris relinquens illi[203], et memoriam sanguinis. Exinde jam exanimis prosternitur cum ceteris ad jugulationem solito loco[204]. Et cum populus illos in medio postularet[205], ut gladio penetranti in eorum corpore oculos suos comites homicidii adjungeret, ultro surrexerunt, et se quo volebat populus transtulerunt: ante jam osculati

---

198 Pudentis nomen Holstenius haud exprimit. Pudens Martyr colitur 3 Kal. Maji in vetusto Kalendario Karthaginiensi; an iste? alius enim est Pudens Senator, de quo Paulus 2 ad Timoth. IV. 21. et Pudens Martyr Alexandrinus de quo Bollandiani hac die agunt. R.

199 *Ad summum* Holstenius. Nescio cur? *adsum* habet R.

200 Acclamatio populi petulanter illudentis Christianis sacris. Cum enim vulgo notum esset, Christianos existimare, salvos fieri homines per baptismum, populus e theatro spectans Christianum sanguine perfusum, salvum eum proclamabat, qui sic lotus esset. H. Paralip.

201 Baptismo nimirum sanguinis, quem tanti faciebant veteres Christiani. Hi vero jam ante incarcerationem baptizati erant.

202 *Ansulam.* R.

203 Cod. Salisb. *Reddidit ei beatam hæreditatem, relinquens ei pignus et memoriam tanti sanguinis* R.

204 *Spoliarium* intelligit, ubi conficiebantur quos arena semivivos reliquerat. De hoc Seneca Epist. 94. *Numquid aliquem tam stulte cupidum esse vitæ putas, ut jugulari in spoliario quam in arena malit?* Ita mortuo Commodo acclamatum scribit Lampridius: *Hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario laniatus!* H.

205 Postulandi vox Amphitheatri propria. Hinc *depostulatores Christianorum.* Tertull. Apolog. c. 35.

invicem, ut martyrium per solemnia pacis[206] consummarent[207]. Ceteri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt: multo magis Saturus, qui et prior ascenderat, prior reddidit spiritum; nam et Perpetuam sustinebat. Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter costas[208] compuncta exululavit; et errantem dextram tirunculi gladiatoris[209] ipsa in jugulum transtulit[210]. Fortasse tanta foemina aliter non potuisset occidi, quia ab immundo spiritu timebatur, nisi ipsa voluisset.

O fortissimi ac beatissimi Martyres! O vere vocati et electi in gloria Domini nostri Jesu Christi! quam qui magnificat, et honorificat, et adorat, utique et hæc non minus veteribus exempla in ædificatione ecclesiæ legere debet, ut novæ quoque virtutes unum et eundem semper Spiritum Sanctum usque adhuc operari testificentur; et omnipotentem Deum Patrem, et Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum: cui est claritas et immensa potestas in secula seculorum. Amen.

---

206 Osculum pacis. Hoc pacis symbolo recte ad martyrium præparabantur. H.

207 Vox propria perfecti martyrii. Sic Tertull. de patientia c. 15. *patientia martyria consummat.* Cyprianus martyrium *consummationem* appellat ep. 4. Respondet *consummare* Græcorum τελειοῦσθαι, quo ejus linguæ autores in referendis martyriis passim utuntur. H.

208 *Inter ossa* habet Holstenius. Malo Ruinarti lectionem.

209 Qui arenæ victima destinabatur, ut cædibus adsuesceret, tirocinii rudimenta in spoliario ponebat, ibique bestiarios, quibus feræ vitam non eripuerant, jugulabat. Quintilianus Declam. 9. *Cruentum confectorem* vocat. Sic quoque in epistola Smyrnensium de martyrio S. Polycarpi ap. Euseb. H. E. IV. c. 14. H.

210 Seneca ep. 30. *Sic gladiator tota pugna timidissimus jugulum adversario præstat, et errantem gladium sibi attemperat.* H.

III.

KALENDARIUM CARTHAGINIENSE.

HIC CONTINENTUR DIES NATALICIORUM MARTYRUM ET DEPOSITIONES* EPISCOPORUM QUOS ECCLESIA CARTHAGENIS ANNIVERSARIA CELEBRANT[1].

PRÆFATIO MABILLONII.

Hoc Kalendarium Sanctorum, quod olim Carthaginiensis Ecclesia quotannis recolebat, Africanum dicere licet, omnium, quæ hactenus typis vulgata sunt, ut quidem puto, antiquissimum et rarissimum. Repertum a nobis est felici casu in quodam veterrimo codice monasterii Cluniacensis, continente b. Hieronymi Commentarios in Isaïam, imo in codicis ligneo operculo, tineis ac vermibus corroso, affixum. Operæ pretium fuit vetustissimam et semesam membranam a ligno carioso divellere. Operculi pars antica Kalendarii principium, postica reliquum continebat. Scriptura Romana est, literis majusculis exarata, seculo septimo non inferior.

Antiquius est Kalendarium, quum in eo nulli Sancti, nedum Fulgentius Episcopus, reperiuntur iis posteriores, qui in Vandalorum persecutione sub Hunnerico Rege passi sunt. Qui tunc in Africa annuo cultu honorabantur Sancti, plerique erant populares: quidam tamen ex Italia et ex Hispania præter Apostolicos viros. Nullum Deiparæ festum, de qua nullus apud Augustinum tractatus seu sermo. Annus a XIII Kal. Maji incipit, nempe post Pascha; desinit XIII Kal. Martii, id est per totam Quadragesimam.

Hactenus Mabillonius in Veteribus Analectis, ed. Parisiensis 1723. fol. p. 163. Idem hoc Kalendarium exhibent Ruinarti Acta Martyrum, ed. Parisiensis 1699. in Qu. p. 693. Addimus notas Mabillonii, plerisque tamen iis exceptis, quæ Martyres spectant haud Africanos; nonnulla quoque ex Morcello subjunximus.

---

* *Depositiones*, sepulturæ.

1 Sic titulus in Manuscripto.

XIII. Kalend. Maïas Martyris Mappalici[2].
III. Kal. Maï. Martyris Pudentis[3].
II. Kal. Maï. Martyris Claud.
III. Non. Maï. depositio Grati Episcopi[4].
II. Non. Maï. Marini et Jacobi Martyris[5].
Nonas Maï. depositio Genecli Episcopi[6].
V. Idus Maï. sancti Majuli[7].
III. Idus Maï. Martyris Secundiani[8].
II. Idus Maï. sanctæ Felicis, Cæcili et comitum[9].
XI. Kal. Junias sanctorum Casti et Æmili[10].
X. Kal. Jun. sanctorum Luci et Montani[11].

---

2 Una cum sociis occubuit anno 250. Exspiravit in ipsa quæstione. Sociorum complures fame necati sunt. Ejus Martyrium narrat Cyprianus ep. 10. De eo et sociis habetur quoque testimonium Luciani Confessoris ad Celerinum, inter Cyprianicas epistolas 22. Cf. præterea Morcellum II. p. 103.

3 Haud dubie Pudentis Optionis, de quo CAP. XXIX. p. 212. et in Actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis p. 238. vide quoque p. 248. not. 98.

4 Episcopi Carthaginiensis ab an. 344-253. Interfuit Concilio Sardicensi.

5 Marinus v. Marianus Lector et Jacobus Diaconus, Muguæ prope Cirtham Numidiæ an. 269. sub Valeriano cum multis aliis passi. Cf. Ruinarti Acta Martyr. p. 224. et Morcell. II. p. 154.

6 Geneclius Episcopus Carthagin. ab an. 374-391. *Episcopum beatæ memoriæ* Augustinus, et *Sanctum* Ferrandus appellant.

7 Majolus, Victorinus, Fortunatus; incerti Martyres in Africa.

8 Duo occurrunt Secundiani; alter, qui in Martyrologiis dicitur Episcopus et Martyr; alter loci Thambeis dicti Episcopus, qui concilio Cypriani interfuit, cujusque Augustinus meminit lib. VII. de baptismo contra Donatistas c. 44.

9 Felix haud dubie Tibursici Burensium in Provincia Proconsulari Episcopus, qui cum libros sacros tradere nollet, Maxim. Herculeo Imperatore anno 303 capite truncatus est. Morcell. II. p. 184.

10 Vide CAP. XXVIII. p. 204. Martyrio coronati sunt anno 204. eorumque nomina leguntur in Bedæ, Rabani, Notkeri et Usuardi Martyrologiis.

11 Hi et socii Carthagine Martyres sub Valeriano anno 259. De iis vide Ruinarti A. M. p. 233. Morcell. II. p. 156.

VIII. Kal. Jun. sancti Flaviani et Septimiæ[12].
II. Kal. Jun. sanctorum Timidensium[13].
III. Non. Jun. sancti Perseveranti Martyris.
Nonas Jun. sancti Systi.
III. Idus Jun. sancti Galloni.
XIII. Kal. Julias sancti Gervasi et Protasi Martyrum[14].
VIII. Kal. Jul. sancti Johannis Baptistæ.
sancti..... et Rogati Martyris[15].
. . . Jul. sancti E... Martyris[16].
. . . Jul. sanctorum .... Apostolorum[17].
. . . Jul. ....
Idus Julias sancti Catulini Martyris[18].
XV... Kal. Augustas sanctorum Scilitanorum[19].
XII. Kal. Aug. depositio sancti Aurili Episcopi[20].
XI. Kal. Ag. sanctorum Maxulitanorum[21].

---

12 Flavianus unus e sociis Lucii et Montani. Morcellus II. 157. Septimiam hanc quæ diversa fuit a Septimia pag. sequenti laudata, ignoramus.

13 CAP. VII. p. 217. Horum acta, si extitere uspiam, exciderunt. Forsan ex eorum numero fuit Faustus a Timida regia, Confessor, qui synodo Cypriani interfuit, et memoratur ab Augustino contra Crescon. Lib. VII. c. 21.

14 Mediolanenses hi ædis sacræ honore aucti fuere in villa Victoriana, agri Hipponensis vico. Augustinus de Civit. Dei XXII. c. 8, 7.

15 Qui e numero Abitinensium Martyrum fuit. Morcell. ad annum 304. II. p. 188.

16 Forsan legendum S. Elafi, in Africa, qui IV. Kal. Jul. notatur in vulgato Hieronymi Martyrologio. Morcellus conjicit quoque de Egnatio, qui anno 204 occubuit. Afric. Christ. II. p. 64.

17 Petri et Pauli, qui in omnibus Martyrologiis III Kal. Jul. locum merentur.

18 Notus est ex Augustini sermone per natalem Catulini perorato. Diaconum dicunt Martyrologia Hieronymi et Usuardi. Passus videtur Carthagine.

19 Vide CAP. XXVII. p. 188.

20 Episc. Carthaginiensis, Augustini æqualis, sub quo templum Coelestis clausum est. Ecclesiam suam rexit ab anno 392-429.

21 Maxulitani Martyres v. Massilitani laudantur ab Augustino sermon. 42. et 43.

. . . Kal. Ag. depositio sancti Capreoli Episcopi[22].
III. Kal. Ag. sanctorum Tuburbitanarum et Septimiæ[23].
Kal. Ag. Macchabæorum.
VIII. Idus Ag. sancti Systi Episcopi et Martyris Romæ.
IIII. Idus Ag. sancti Laurenti.
II. Idus Ag. de sanctos Marinus.
Idus. Ag. sancti Hippoliti.
. . . Kal. Sept. sanctorum Massæ-Candidæ[24].
. . . Kal. Sept. sancti Quadrati.
. . . Kal. Sept. sancti Timothei.
. . . Kal. Sept. sancti Genesi Mimi.
IIII. Kal. Sept. depositio Restituti[25] et Agustini Episcopi[26].
III. Kal. Sept. sancti Felicis, Ævæ et Regiolæ mart.[27].
. . . Idus. Sept. sancti Ampeli[28].

---

de diversis. Maxula colonia erat in Provincia Proconsulari. Acta perierunt. Neque constat de tempore Martyrii.

22 Capreolus Episc. Carthagin. ab anno 429-437.

23 Vide CAP. XXVIII. p. 204. Septimiam cum 15 aliis hisce Tuburbitanis Martyribus adjungit Martyrologium Hieronymi.

24 Trecenti numerantur Martyres Massæ Candidæ, qui et Uticenses dicuntur, qui anno 258 in fossam calcaream fumantem prosilire maluerunt quam Diis sacrificare. Eorum martyrium describitur a Pontio in vita Cypriani. Prudentio Hym. 13. atque Augustino in Ps. 49. et sermon. 112. de diversis, quem Possidius in Indiculo c. 9. notavit. V. quoque Morcell. II. p. 150.

25 Restitutus Episc. Carthaginiensis an. 354-374. licet in Martyrol. Rom. dicatur Martyr, ab Augustino tamen Martyr haud habetur, ut videre est apud Possidium c. 10. De alio Restituto Presbytero Calamensi mira prædicat Augustinus de Civit. Dei XII. 24. et plures in Africa fuere Restituti Episcopi. Itaque haud certo statui potest Carthaginiensem Episcopum hic nominari.

26 Haud dubie Augustinus ille Hiponensis Episcopus, qui Hippone a Vandalis obsidione pressa anno 430 obiit.

27 et 28 Martyres Alatinensis v. Alutinenses, diverse enim nomen scribitur, in Numidia. Ruinarti A. M. p. 409. Passi sunt anno 304. Morcell. II. p. 188.

XVIII. Kal. Octo. sancti Cypriani Episcopi et Martyris Carthag.[29].
XVI. Kal. Oct. sanctæ Eufimiæ.
. . . Kal. Oct. sancti Januarii Mart.[30].
. . . Kal. Oct. sancti Sossi.
VI. Idus. Oct. sancti Quintasi[31].
III. Idus. Oct. sancti Lucæ Evangelistæ et Martyris.
XVI. Kal. Nov. sanctorum Volitanorum[32].
. . . Kal. Nov. sancti Luci et Victurici Martyrum[33].
. . . Kal. Nov. sanctæ Victuriæ[34].
IIII. Kal. Nov. sancti Feliciani et Vageusium[35].
Kal. Nov. sancti Octavi.
. . . Idus. Nov. sanctorum Capitanorum[36].
Idus sancti Valentini[37].

---

29 Martyrio coronatus anno 258.

30 Multi in Africa fuere Januarii. Forsan heic indicatur Januarius ille, qui anno 302 una cum Paulo Gerontio et aliis sex mortem pro religione Christiana obiisse dicitur. Morcello tamen ignoti sunt. Hic enim putat, Januarii et Sossii cultum in Africa invexisse Episcopos ex Campania reduces, quos Vandali in exilium ejecerant.

31 Notatur in Martyrologio Hieronymi ut Afer. Nomen ejus legitur in subscriptionibus epistolæ Patrum Arelatensium ad Silvestrum Episc. Romanum. Sed sedes ejus incognita. Hoc nomine episcopi aliquot in Africa fuere.

32 Volitana v. Bolitana civitas Provinciæ Proconsularis. Martyres Bolitanos habet Augustinus in titulo sermon. 13. de verbis Apostoli, quem in Basilica Gratiani *die natali S. S. Martyrum Bolitanarum* habuit.

33 Horum et aliorum in Africa Martyrum gesta ad anno 262 refert Baronius. Victorici bis meminit Cyprianus in epistolis, eumque Pamelius a Thabraca vocatum observat. Morcellus ad ann. 259. II. p. 156.

34 Ad Martyres Abitinos v. Alutinenses refertur. v. Ruinartum. Morcellus vero ad ann. 484 rejicit, III. p. 210.

35 De hisce nihil præter heic allata constat.

36 Septem Monachi ab Hunerico necati, qui Capsitani esse videntur ex Provincia Byzacena. Morcell. III. p. 212.

37 Cogitandum fortasse de Valentino Castelli Mediani Episcopo in Mauretania Cæsareensi, quem Notitia Provinciarum Africæ suggerit.

. . . Kal. Dec. sancti Clementis.

. . . Kal. Dec. sancti Crysogoni Martyris.

. . . Kal. Dec. sancti Andreæ Apostoli et Martyris.

Nonas Dec. sanctorum Martyrum Bili, Potamiæ, Crispinæ et comitum[38].

IIII. Idus Dec. sanctæ Eulaliæ.

III. Idus Dec. sanctorum Martyrum Eronensium.

XVI. Kal. Jan. sanctorum Martyrum Felicis, Clementianæ, Honoratæ et Massaniæ[39].

X... Kal. Jan. sancti Nemessiani.

VIII. Kal. Jan. Domini nostri, Jesu Christi, filii Dei.

VII. Kal. Jan. sancti Stephani, primi Martyris.

VI. Kal. Jan. sancti Johannis Baptistæ et Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit[40].

V. Kal. Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes occidit.

Nonas. Jan. depositio sancti Deogratias et Eugeni Episcoporum[41].

VIII. Idus. Jan. sanctum Epefania[42].

VI. Idus. Jan. depositio Quodvul-Deus Episcopi[43].

III. Idus. Jan. sancti Martyris Salvi.

XVIII. Kal. Feb. sancti Felicis Nolensis[44].

---

38 Passi sunt tres priores Thaguræ in Numidia. Crispina, cujus Augustinus sæpius meminit, Thebaste in eadem Provincia anno 304. Morcell. II. p. 193.

39 Incerti omnes. Cum Cypriano duo Felices passi sunt. Felix cum Collegis a Valeriano damnatur ad metalla, aliique complures. Cetera nomina plane sunt incognita.

40 Nemessianus Tubunarum in Numidia Episcopus, ad quem tres Cypriani extant epistolæ, cujusque aliorumque ad metalla damnatorum epistola ad Cyprianum extat.

41 Episcopi Carthaginienses, prior ab anno 454-458. posterior ab anno 480-505. ultimus ætate hic est Episcopus Carthag. qui in hocce Kalendario nominatur. Mortuus est exul in Gallia.

42 Celebre festum apud Afros, qui teste Victore Vitensi ipso die *benedicebant fontes, ut baptizarentur accedentes ad fidem.* Augustinus habuit de Epiphania tractatus 7. testante Possidio in indiculo, c. 10.

43 Episc. Carthaginiensis ab anno 437-444.

44 Episcopi Membresitani secundum Mabillonium. Eximia de illo contra Cresconium et adv. Parmenianum scribit

XVI. Kal. Feb. sanctorum Rubrensium.
XIIII. Kal. Feb. sanctorum Tertullensium et Ficariensium [51].
XIII. Kal. Feb. sancti Martyris Sivastiani [46].
XII. Kal. Feb. sanctæ Martyris Agnes.
XI. Kal. Feb. sancti Martyris Vincenti.
VIII. Kal. Feb. sancti Martyris Agelei [47].
Kalend. Feb. sanctorum Luciani et Vincenti martyris [48].
IIII. Non. Feb. sanctorum Carteriensium [49].
Nonas Feb. sanctæ Martyris Agatæ.

Augustinus, qui et sermonem habuit per Natalem S. Martyris Salvii ex Possidii c. 3. et tractatum unum de Natali S. Salvii, ex c. 10. Membresitanum tamen fuisse negat Morcellus III. 266. quem nunquam Catholicum fuisse, licet multa a Donatistis perpessus fuerit, asserit.

45 Hi fuisse videntur Afri. Notkerus habet ad h. d. *In Africa Pauli, Quinti et plurimorum Martyrum.* Hæc forsan prima classis Tertullensium fuit: Carthagine *Picariæ, Piæ et aliorum triginta duo.*

46 Sebastianus Comes a Genserico necatus anno 449. Cf. Morcellum III. p. 158.

47 Augustinus in Natalem S. Agelei sermonem habuit ad populum teste Possidio c. 9. Caveus putat eum fuisse Episcopum Novatianorum apud Constantinopolim, quem ætate decrepitum vivere desiisse anno 384 refert Socrates. Quid vero hic inter sanctos ecclesiæ Africanæ? Agelei Martyris Basilicam Carthagine a Gunthamundo Vandalorum rege Catholicis anno 487 redditam lego ap. Morcellum ad h. a. III. p. 218.

48 Lucianus forsitan alter post Carpophorum Cypriani successor, qui ab anno 264-292 juxta Morcellum Ecclesiam Carthaginiensem rexit. Idem esse potest cum Luciano illo, quem Cyprianus ep. 27. nonnihil reprehendit, *quod circa intelligentiam Dominicæ lectionis minus peritus et facilitate sua molestus* ipsi esset, nempe lapsis veniam passim concedendo. De Vincentio nihil constat.

49 Incerti. Cartenna Mauretaniæ Cæsareensis fuit urbs; Carteia vero Bæticæ. Hosce Carteriensis vero Afros fuisse probabile fit ex sermone ab Augustino per Natalem Carteriensium habito. Possid. Indic. c. 9. Plures hoc die Africæ martyres laudat Martyrologium Hieronymo adscriptum.

V. Idus Feb. sanctorum Felicis, Victoris et Januarii.

XIIII. Kal. Mart. sanctorum Martyrum Macrobi et Lucillæ, Nundinari[50], Cæcilianæ et Petrensium[51].

---

50 Macrobius et Lucilla cum multis aliis recensentur hoc die in Martyrologio, quod Hieronymi appellatur. In Actis Cirthensium Nundinarius et Lucilla nominantur, sed absque martyrii titulo. Reliqui omnes incogniti.

51 Kalendarium a die XIIII Kal. Martias ad d. XIII Kal. Majas neminem ciet; quippe eo fere tempore quadragenarium jejunium et Paschalia agebantur festa, ac religioni antiquitus habebatur, alia per eos dies obire solemnia, quam quæ ab Ecclesia omni ex majorum præscripto servabantur. Morcell. III. p. 262.

ADDENDA.

Pag. 20. lin. 16. Magnum quoque Christianorum Afrorum numerum indicant verba Tertulliani in libro de fuga in persecutione c. 12. *Tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemtionem capitis et sectæ redigendis, quum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti possit.*

Pag. 35. not. 3. Sic quoque de anima c. 9. de *sorore* loquitur *revelationum charismata sortita. quas in* ECCLESIA *inter dominica solemnia per extasin in spiritu patitur:* quæ verba haud aliter quam de æde sacra intelligi possunt.

Pag. 45. lin. 23. adde notam. Sec. IV. fortasse Ordinationi Episcopi Carthaginiensis Episcopi vel Metropolitanus Numidiæ interfuerunt. Ad hanc saltem consvetudinem Donatistæ in Collatione Carthaginiensi provocasse videntur. v. Neandri Allg. Gesch. d. christl. Religion und Kirche II. 1. p. 399.

Pag. 59. lin. 3. adde notam: Neandri K. G. II. 1. p. 333.

— — lin. 22. Eas quoque laudat ad uxor. I. c. 4. *adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formae vel ætatis occasione pressæ* (sic legendum videtur) *maritis sanctitatem opponunt*; *malunt enim Deo nubere. Deo speciosæ, Deo sunt puellæ; cum illo vivunt, cum illo sermocinantur; illum diebus et noctibus tractant: orationes suas velut dotes Domino adsignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia, quotiescumque desiderant, consequuntur.*

Pag. 62. lin. 12. *Seculo* autem h. e. muneribus publicis gerendis *obstrictos* in Clerum Africanum receptos haud fuisse, ex eo patere videtur, qvod idem hoc libro de præscriptionibus c. 41. hæreticis vitio vertitur.

Pag. 68. lin. 19. adde. Id quod ipsi quoque Ethnici animadverterunt, licet hominum emendationem religioni sanctissimæ, quam amplexi essent, haud attribuerent. Vide Tertulliani Apologeticum c. 3. et notas Havercampi.

Pag. 101. lin. ult. Baptizandi facultatem habebant presbyteri et diaconi, *non tamen sine episcopi auctoritate.* Tertull. de baptismo c. 17. (vide supra p. 57.) Attamen urgente necessitate laicos quoque baptismum contulisse, verba Tertulliani sequentia docent: *alioquin etiam laicis jus est:* quæ quidem egregie conspirant cum sententia ejus de spirituali omnium Christianorum sacerdotio. Idem hoc jus in reliqua quoque ecclesia laicis concessum erat, majorem tamen passim antiqui valorem tribuisse baptismo ab episcopo, vel ejus auctoritate a presbytero aut diacono, administrato,

quam ei qui a laico esset peractus. Et in lite de baptismo hæreticorum Cyprianus, Firmilianus eorumque collegæ hunc plane rejiciebant statuebantque: *non alio numero esse habendum quam qui esset acceptus de manu laici, adeoque debere expurgari vero ecclesiæ baptismate.* Idem hoc habet Basilii epistola Canon. 1. can. 1. Cf. Ludov. Petri Suringar Commentat. exhibentem Christianorum e tribus post C. N. prioribus sæculis sententias de S. Baptismo. Groeningæ 1826. p. 21. 22.

Pag. 105. lin. 12. Adde notam. Sunt, qui statuunt, ritum, quem hodieque servat ecclesia Græca, panem in vinum intingendi, prisco jam tempore in ecclesia Africana invaluisse[1], eo consilio, ut utrumque elementum infantibus una porrigeretur; nam de adultis idem hoc statuendi nulla est ratio. Provocant enim hi ad narrationem Cypriani de parvula filia, cui apud idolum panis mero mixtus datus fuerit, et cui postmodo, reluctanti licet, diaconus de sacramento calicis infuderit: *in corpore,* ita pergit Cyprianus, *atque ore violato eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt etc.*[2]. His quidem verbis de calice unice loquitur Cyprianus; attamen, cum *Eucharistiam* vocet, haud improbabilis foret conjectura, panem intinctum fuisse, nisi obstaret, idem illud fuisse poculum, quod ceteris quoque Christianis diaconus præbuerit. Quæ autem utcunque sint, id tamen constat, sec. IV. hunc eucharistiam porrigendi modum in Aegypto fuisse receptum. Hoc innuere videtur Eusebius H. E. IV. c. 44., licet obscurius; nam haud clare patet, panem consecratum, quem Dionysius Alexandriæ Episcopus Serapioni seni moribundo misit, *vino eucharistico*[3] fuisse intinctum a puero, cujus curæ committebatur. Constat vero ex Julii I. Episcopi Romani epistola Decretali ad episcopos per Aegyptum in Decreto Gratiani Distinct. II. c. 7. in concilio Bracarensi anno 675. repetita[4], unde fides illi conciliatur, quum alias inter merces Pseudoisidorianas esset rejicienda[5].

---

1 Cf. Sontag de intinctione panis Eucharistici in vinum. Altorfi 1695. p. 13.

2 De baptismo p. 132.

3 Binghamus VI. p. 404. aqua intinctum panem fuisse statuit.

4 Labbei Concilia Tom. VI. p. 562.

5 Julius enim semiseculo ante Siricium Papam vixit, a quo genuinæ Pontificum Romanorum Decretales incipere creduntur. Sed inter antiquiores esse quoque poterunt, quibus nulla νοθείας inurenda sit macula. Cf. Spittleri Geschichte des kanonischen Rechts bis auf die Zeiten des falschen Isidorus p. 218. De toto isto argumento vide Binghamum VI. p. 441. seqq.

Pag. 106. lin. 6. Et Eucharistiam Cypriani saltem tempore datam fuisse omnibus instante persecutione, fidem facit epistola synodica ecclesiæ Africanæ ad Romanam anno 252 data, inter Cyprianicas 57. ubi: *at vero nunc non infirmis sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, qaos tutos esse contra adversarium voluimus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.*

Pag. 112. lin. ult. lege: juxta posito monogrammate additisque literis *A* et *Ω* hanc in formam:



Pag. 116. lin. 19. adde notam. Confer quoque Luciani epistolam ad Celerinum, inter Cyprianicas 22. et Neandri K. G. I. p. 375.

Pag. 139. lin. ult. adde notam. Hinc explicandus locus in Actis S. S. Perpetuæ et Felicitatis, ubi illa c. 13. p. 92. Aspasium Presbyterum et Optatum Episcopum ad concordiam hortatur. Nam, licet Montanismo fuerit addicta, haud tamen ab ecclesia Catholica secesserat.

Pag. 161. lin. 4. add. Qua quidem formula (in epist. Synodica ad Cornelium R. E. de pace lapsis danda, inter Cyprianicas 57. p. 119.) Patres Concilii haud dubie imitati sunt decretum Hierosolymitanum, quod legitur Actor. XV. 28. *Ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν. Visiones* vero addidere, quo majorem fidem assertioni, Spiritum S. decretum hoc ipsis suggessisse, conciliarent.

INDEX*.

* Indicem conscripsit Juvenis ornatissimus Theodorus ab Oldenburg, S. Ministerii. Candidatus.

G.

H.

I.

Q.

R.

S.

ERRATA.

Pag.	Lin.		lege:
4.	8.	Bomanorum	— Romanorum.
6.	8.	curpiunt	— cupiunt.
22.	13.	sascra	— sacra.
-	14.	initationem	— initiationem.
-	-	probabille	— probabile.
29.	12.	linites	— limites.
39.	17.	recesetur	— recensetur.
43.	9.	CONTINATIO	— CONTINUATIO.
46.	5.	sacarmum	— sarcasmum.
51.	4.	quinque	— quique.
56.	21.	Cliricis	— Clericis.
57.	5.	pag. 29	— epist. 29.
65.	9.	destitulis	— destitutis.
70.	3 in not.	capillanentum	— capillamentum.
71.	2 not.	subbata	— sabbata.
72.	15.	*adfrmat*	— adfirmat.
77.	12.	nuneios	— nuncios.
98.	14.	deficientibas	— deficientibus.
99.	12.	ad hanc enim	— ad hanc enim adspersionem.
100.	penult:	mundan	— mundari.
-	13.	Bassilium M.	— Basilium M.
101.	2.	fait	— fuit.
103.	13.	adCyprianum usque	— jam longo ante Cyprianum tempore.
-	14.	CAP. XXVII	— CAP. XXIII.
114.	8.	missericordiam	— misericordiam.
126.	12.	offere	— offerre.
138.	11.	Christrianorum	— Christianorum.
160.	1.	volumtatis	— voluntatis.
162.	5.	desessori	— decessori.
172.	16.	punctum post *quo* delendum est.	
-	1 in not.	Senutu	— Senatu.
173.	6.	Imperatroris	— Imperatoris.
178.	5.	jejuno	— jejunio.
-	2 in not.	pagna	— pugna.
194.	15 in not.	rego	— rogo.
209.	12.	castigutius	— costigatius.
215.	6.	fucile	— facile.